

ROSSET (Pietro)

CHRISTUS (2958 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue à Paris, en 1534, chez Simon de Colines.

PETRI ROSSETI POETAE LAUREATI

CHRISTUS.

LIBER PRIMUS.

C_1 v.1 Caelesti genitam humanoque a semine prolem,
 2 mactatamque cano, factis quae praebuit orbi
 3 se claram subiitque odiis infanda suorum
 4 funera, dum vetiti morsus commissa piaret,
 5 humanumque nefas rursus in corpore jussit
 6 esse suo vitam, et domito nova condidit Orco
 7 saecula, et aeternis gentem cum ritibus aequam.
 8 Dic Deus, haec sceleris quae dira injuria caelum
 9 clausit antiqui, quo tu crudelia passus
 10 supplicia indignamque necem, quid tendere frustra
 11 ausus te contra et terris arcere salutem ?
 12 Esse sibi exiguum si vim perceperat Orcus.
 13 Is decus exuerat divinae lucis, ab alto
 14 cum Stygia manes acie dejectus ad imos,
 15 cum sibi praeferrere doluit terraeque potiri
 16 imperiis, caeloque genus succedere nostrum.
 17 Astu igitur primos petiit vescique subegit
 18 arboreo fetu, haec maneant ne dona parentes,
 19 ne genus haec maneant tota cum stirpe futurum.
 20 Sed vatum hic monitu, et signis percussus apertis,
 21 promissisque dei, totum jam noverat orbem
 22 spe certa impleri solvique piacula partu
 23 Virgineo amissamque peti reddique salutem,

24 exsiliumque sibi et tristem superesse ruinam.
 25 Tum dolor ingentique metu fiducia crevit.
 26 Huc atque huc Erebi pestes secumque nefandos
 27 ibat mille vocans comites passimque trahebat
 28 tot genus humanum insidiis totque artibus, omnes
 29 in scelerum formas, peccandi invaserat ardor
 30 tam dirus nostrarque nefas ab origine tantum.
 31 Ecce mali hortator supra mare stabat aperto
 32 aethere Sidonium, populos incultaque et omnem
 33 orbe Asiam toto aspectans Solymosque remenso,
 34 jamque fame pressum exactis tot solibus et jam
 35 jejunis Christum tot noctibus in spelaeis
 36 secessuque feras inter prospexit in alto,
 37 nescius esse Deum, haud dubiis sed talia motus
 38 secum ait ostentis, fuerant quae plurima caelo :
 39 "Nunc quibus ipsa dies, nunc sors quibus aspera fatis
 40 volvitur et praeter solitum quo nemine mundus
 41 exsultat, dubito, et qua me formidine turbat,
 42 hactenus ad summum crevere et dum altius ire
 43 non potuere meae, mihi res nutare videntur.
 44 Instat homo, aspicio caeli non irrita signa,
 45 quem metuo, ratus esse Deum, hunc cum vidimus olim
 46 nascentem, cecinere poli ; novaduxit ab ortu
 47 stella Magos regesque timor saevire coegit.
 48 Vox etiam ecce Dei, quae totum implevit aperto
 49 nuper inane polo lapsumque sub alite numen
 50 ad Jordanis aquas et quae jejunia nullam
 51 longa tulere famem, terrent me agitantque timentem.
 52 Aut Deus est, ut me lateat, mortalia secum
 53 ora gerit, mihi qui rursus parat altera furtim
 54 exsilia, aut hominum (ut credo) caelestibus unus
 55 viribus adjutus, qui signa minantia monstret,
 56 et fore me domito profugum denuntiet Orco.
 57 Nunc igitur qui sit (fieri visa omnia quando
 58 supra hominem) unde sibi vim tantam suggerat iste,
 59 experiar, ne me fallat mutatus adibo."
 60 Haec subito ut dixit, caelum diverberat alis
 61 infensus cristamque gradus extollit in altos,
 62 tres tribus evinctos nectens serpentibus hamos,
 63 omnia quo secum rapiat, Rhaetique lacerto
 64 suspendit pateram ; hac Lethes obliviam portat,
 65 dat Stygis hac latices et nubem effundit opacam.
 66 Jamque ad Carmelum tandem nemora ardua juxta
 67 perventum, impellit dum se nigrantibus alis
 68 evitatque loci numen. Ceu spicula quando
 69 nervo emissa volant, verso quibus agmina tergo
 70 impetit, eluditque fuga nova proelia Parthus.
 71 Exin per steriles saltus Samaritidis inter
 72 gentis agros furtim celerans, magnique fluenta
 73 Jordanis, lucem exosae volat alitis instar,
 74 et solitae sub nocte queri, jamque ocus ibat
 75 saxa per et silvas, et per latera aspera montis,
 76 vestibus Essaeum niveis, vultuque severo,
 77 Tartarei posita mentitus imagine monstri.
 78 Ut spelaea famemque Deum sentire volentem
 79 inspexit faciemque loci et discrimina circum ;

80 namque ferae circum stabulant, saevire leones,
81 molirique lupi insidias saevique dracones.
82 Sic fando increpitans juxta insidiarier audet :
83 "Tunc etiam esuriens tantum pati laborum ?
84 Hinc tibi quid pretii restet, quae commoda, nescis,
85 difficilisque rei quid prosit inutile factum.
86 Quid tum, si duramque famem et jejunia Moses,
87 Heliasque tulit ? Prisci potuere parentes.
88 Haec etiamne ferens nunc te mortalibus aequas ?
89 Si genus e caelo ducis, si rector Olympi
90 te genuit patriisque sinit te viribus uti,
91 fac lapis in Cererem ut durus (potes omnia quando)
92 transeat, haec Cereris dum te penuria tantum,
93 dum te dura fames vitaeque inimica fatigat."
94 Talia volventem et ficta se voce tegentem,
95 fingentemque nefas, tanti non inscius astus
96 rex hominum, satus ille Deo scelerumque repressor
97 sic contra objurgat : "Quid falsa ambagibus audes
98 volvere consilia et duros donare labores,
99 mansuram quibus in requiem, quibus itur in astra,
100 et quibus aethereo patres potentur honore ?
101 Colloquiis hominem potius caelestibus aequa
102 religio mensisque frui melioribus optat."
103 Sic ait. Hunc Solyman secum ducturus in arcem
104 accipit inceditque sui non immemor Orcus.
105 Quantum agat ille deum, cupiat seu fallere quantum,
106 nescit fallendique viam meditatur inanem.
107 Mons caelo optatus, prisci dixere Sionem,
108 urbe fuit Solyma, et cultu servatus avito,
109 quem super extulerat regum ditissimus olim
110 rex Salomon proavis templum patrique negatum.
111 Quidquid ubique foret diverso ex orbe nepotum,
112 auxerat huc veniens et largi munere reges.
113 Jam mundi in molem Pariis tot molibus ingens
114 ibat fulgentisque decus referebat Olympi.
115 Hos septem errantes, alios ter quattuor ignes
116 supremos solisque viam, qua labilis annus
117 volvitur, aut magnus quae sidera digerit orbis,
118 stabant ardentes gemmisque manuque superbae
119 ter centum ex auro, argento atque ex aere columnae,
120 ara ingens vastumque maris de nomine aenum.
121 Huc venit genitumque Dei dux tristis Averni
122 sustulit et tecto sistit super arduus aureo,
123 alta in praecipiti summum qua semita circum
124 ambibat culmen, potu it procul unde videri
125 urbs tota et montes passim terraeque jacentes.
126 Sic prior aggreditur : "Vitamne inglorius omnem
127 hactenus egisti nec adhuc te noverit orbis ?
128 Nominis es sine luce tui ; si rector Olympi
129 te genuit patriisque sinit te viribus uti,
130 labere, atque a tecti spicula dejice saltu
131 ad terram auxiliis fretus caelestibus ibis.
132 Dexter opem feret ipse pater venientque secundi
133 agmine caelicolae excipientque tegentque cadentem.
134 Surgere jam facto tali tua gloria mundo
135 incipiet cunctique ferent ad sidera laudes."

136 Cui Christus : "Nisi res poscat, non quaeritur ultro
137 vincendus solo fuerit qui numine casus.
138 Non sinit hoc pietas nec tanti audacia facti
139 laudanda est, nullique suum conservat honorem."
140 Dixit, et insidias dictis elusit inanes.
141 Sed magis ille nefas Erebi dux irritus ardet
142 moliri secumque alios aliosque volutat
143 arte dolos alia, et Stygiis se firmat in armis.
144 Qui Jovis ut volucrem sequitur, nunc retibus idem
145 fallere, nunc visco tentat, nunc figeretelis ;
146 non illam insidiis subigit, non viribus ullis
147 spectantem longe liquidaque in nube volantem.
148 Hinc procul extemplo cedit secumque Sebaestes
149 rursus agens Christum, regnis allabitur Orcus.
150 Proximus est ubi mons caelo, quem lucida supra
151 astra tegunt nubes, longe patet undique tellus,
152 horret apex sterilis, quo silvis protinus ingens
153 fert via, perque feras ducunt divortia multa,
154 dant quibus ingressi sese insidiantibus escam.
155 Consilia hic caecis agitant diversa latebris
156 Dii Stygii, cladem latenti et crimina terris.
157 Huc ubi supremi perventum ad culmina montis,
158 mons stupet et tacito testatur numina motu
159 diffugiuntque ferae, purgatur nubibus aether,
160 et solem miratur apex. Hic audet Erinnys
161 velle Deum rerum nequicquam incendere amore.
162 Hinc ergo e specula saxi maria omnia longe,
163 et terram ostentat, reserat qua Phoebus Olympum,
164 qua tegit, aversis medium qua dividit oris.
165 Hinc Libyam Europamque procul monstrabat, et omnes
166 circum Asiae populos gentesque, et plurima regna.
167 Quantus honos Persis, quamtus Carthaginis armis,
168 Romulidae quantum domito decus orbe secuti,
169 haec scelerum hortator soli se cuncta daturum,
170 quae cuncti tenuere, refert, si talia danti
171 maxima divini reddatur gloria cultus.
172 Jamdudum ut Christus poscentem indebita sensit,
173 haud mora, tunc dictis sic est aggressus acerbis :
174 "Unde tibi mens ista, nefas qua volvere posses,
175 et decus immeritum et veterem tentare rapinam ?
176 Desine me supra tanto te tollere fastu.
177 Hac licuit proferre tenus, metuenda propinquant
178 saecula tibi, posthac tantum tibi posse negatur.
179 Notus abi." His sese dictis exterritus aufert,
180 moliturque fugam, et silvis latet abditus Orcus,
181 tresque graves monstris circum freudentibus hamos
182 Centaurique fremens pateram cristamque reponit.
183 Stant maesti comites circum, primusque Taractes,
184 Zelemonque dolens, fraudumque repertor Eremnus,
185 parque dolis Ephedros, formidatusque Molobros.
186 Interea puro referunt in lumine sese
187 ad dominum laetoque simul stant agmine circum
188 caelicolae, simul et domino famulantur ovantes,
189 esse etiam Cereremque ferunt laticemque volenti.
190 Hic subito pater ingentem ter lucidus alto
191 aethere dat plausum, ac radiis inspersus et igne,

192 dat nato ambrosiam, dat dulcem nectaris haustum,
 193 victorisque novo multum laetatur honore.
 194 Postera jam caelum reserans detexerat orbi
 195 os roseum et pulsis Aurora effulserat umbris,
 196 sole dies gentem innumeram dum cogeret orto
 197 aethereumque jugis delatum ad flumina regem
 198 Jordanis, late quem circum maximus ibat
 199 se Baptista tegens silvestris tegmine caprae,
 200 amborum genitus suprema aetate parentum,
 201 panderet ut caeli stirpem, quam clausus in alvo
 202 praesensit mutique oriens incredula solvit
 203 ora patris, sese plantis ut tollere quivit
 204 et firmo puer ire gradu, petit aspera solus
 205 lustra, solo patriae et montes silvasque relicto.
 206 Illi nulla Ceres, laeti non munus Iacchi,
 207 non molli in strato somnus, non mollis amictus,
 208 at victu insueto pasci silvestribus herbis
 209 esuriens foedisque (ut vera est fama) locustis,
 210 contra hiemem et saevos villis et pellibus imbres
 211 vestiri hirsutis, seraque quiescere nocte
 212 cote super nuda, in dumis et sentibus atris.
 213 Illum ubi caelesti vidit jam grandior aetas
 214 consilio dignum coepta ad graviora vocari,
 215 errabat juxtaque lacus magnique fluenta
 216 Jordanis, sanctisque pios tingebat in undis,
 217 crimina castigans. Huc urbibus e diversis
 218 ibant et terris populi et simul agmine gentes,
 219 Phoenices, Solymique patres, cunctique Trachones,
 220 ibant et Syrii. Ceu signa agrestia cornu
 221 dum canit upilio, tectis pecus omne reclusis
 222 mane ruit pinguesque agros ad flumina tondet
 223 Eridani : pastum lavat ille salubribus undis.
 224 Inde tori scelus incusans culpamque jugalem,
 225 femineis cadit insidiis jussuque tyranni.
 226 Terra polusque necem vatis miserantur amici,
 227 rectorisque nefas multum indignantur iniqui.
 228 Quaeritur e caelo factis poscentibus ultor.
 229 Ergo ubi per turbam delatum ad flumina vidit
 230 aethereum regem, instantis vestigia firmat
 231 numinis afflatu et tali sic indicat ore :
 232 "Ecce deus quem optastis, adest quem saepius ipse
 233 praedixi et sancti cecinerunt numine vates.
 234 Ecce dei proles generis scelus hostia nostri
 235 morte luet manibusque cadet mactata suorum.
 236 Omnia qua Tethys terram circumfluit omnem
 237 asseret infernisque jugum cervicibus addet.
 238 Vidi egomet testata deum caelestia pridem
 239 signa, novum claro patuit quibus omen Olympo.
 240 Is liquida dum tinctus aqua me forte ministro
 241 stabat, cum precibus tollens ad sidera vultus,
 242 extemplo caeli de vertice missus amoena
 243 luce, per ingentem fulgor diffunditur auram.
 244 Quales nube solent rupta lucescere flammae
 245 murmure cum valido, totus quibus emicat aether.
 246 Tum caelum in medio, qua sol exaestuat, axe
 247 panditur et superi monstratur luminis ardor ;

248 alitis illapsum Paphii sub imagine numen
 249 devolat immotisque super caput astitit alis,
 250 omen agens magnum. E summis penetralibus ingens
 251 fit plausus natumque pater compellat ab alto :
 252 "Christe, genus nostrum et mentis pars intima nostrae,
 253 dum mea jussa tuo totum, dum tempora poscunt
 254 nomine repleri et factis clarescere mundum,
 255 te dignam et patri gratam, terraeque salubrem
 256 rem facis, immensum caeli testatus honorem."
 257 Nec plura. Ipse : "Deum audivi novique loquentem,
 258 de caelo lapsam vidi novique columbam.
 259 Ergo age jam cunctis multum exspectate, videri
 260 incipe, Christe, novique decus da surgere saeculi,
 261 da totum impleri factis insignibus orbem.
 262 Hactenus in terris videor potuisse mereri,
 263 te veniente premor. Tu caeli lapsus ab arce,
 264 aethereo nutu et signis monstraris apertis.
 265 Jamque vale. Hostilem vitae fert terminus iram,
 266 femineumque nefas et vis inimica paratur."
 267 Protinus his dictis faciem et flagrantia vates
 268 pascitur ora tuens, tacito cum murmure volvunt
 269 jamdudum haec animis secum pendentibus omnes.
 270 Vix hominem et factis ignotum et nomine, credunt
 271 esse deo genitum, qui non ferat aequoris ultra,
 272 ultra etiam terrae fines, super aethera famam.
 273 Contra, non etiam finxisse oracula vatem
 274 vana putant, cujus Solymis erat omnibus olim
 275 nota fides, multoque excultum nomen honore,
 276 multi ope caelesti et saeculi letantur honore,
 277 adventuque dei placido multique relictis
 278 re patria comites perferre extrema parati
 279 adduntur, superi pro spe, pro munere regni.
 280 Jamque nova ex illis fama notissimus exit
 281 sedibus, et gradiens Galilaea in moenia sese
 282 in patriamque refert Chanaeaeque appellitur urbi.
 283 Jamque viam magni emensus qua volvitur anni,
 284 Aegoceri vehitur per terga horrentibus urnae,
 285 sol vicinus aquis, et saevit frigore bruma.
 286 Hic tunc connubique dies thalami parati
 287 instabat pompae referens genialis honorem.
 288 Ipsa viri sponsaeque novo domus aestuat omnis
 289 conventu festosque parat laetissima cultus ;
 290 plurimaque in rerum seriem digesta tapetis
 291 facta virum divumque patent, tot daedala signa,
 292 tam varii ornatus nec parte locantur in una,
 293 instructique tori ac longo simul ordine mensae,
 294 intus trunca foco volvuntur robora silvae
 295 aedibus in totis, multoque exstinguitur igne
 296 tristis hiems : multa ante focum intra tecta voluptas.
 297 Huc matrumque virumque novis in vestibibus una
 298 ire chori, mixtique senes et laeta juvenus.
 299 Tum medio in tecto primoque in limine fervent
 300 ardentes, gressumque ferunt referuntque ministri
 301 pocula portantes ; Cereris pars dona ministrat,
 302 fontis aquam liquidi supposito infundit aheno
 303 pars manibus, mensas variis pars lancibus implet :

304 dant aliis alii, et capiunt quae fercula portent,
 305 ex aliis alii divisaque munera tractant.
 306 Praecipuique sedent excelsa in parte vocati
 307 a praecone viri, patriis dum obscurus in oris
 308 parte sub extrema felicis conditor aevi
 309 discumbit Christus, genitrix sanctissima juxta
 310 orbis honor Maria, et fidei nova robora juxta
 311 discumbunt comites et sede locantur in ima.
 312 Jamque manus cuncti ad lances largamque vicissim
 313 ad Cererem extendunt pecudumque calentia mandant
 314 viscera, et alituum detostaque terga ferarum.
 315 Stant pueri circum, et molli spumantia Baccho
 316 pocula dant mixtaque domant fortissima lympha.
 317 Et jam pulsa fames (facit haec Deus omnia) quando
 318 vina coronari, laeti ut poscunt hymenaei,
 319 poculaque impleri licuit, consurgere turbae
 320 triste ministrantis murmur : nihil esse Lyaei.
 321 Et novus audiri incepit per limina questus,
 322 incusantque virum cuncti, qui non sibi tantum
 323 atque suis arcere nefas, non vina parare,
 324 quae numero satis esse queant, curaverit aequa.
 325 Res subito ad mensas. Tum secum incommoda volvens,
 326 alma domum genitrix multum miseratur egentem,
 327 et placidam nati paucis sic fatur ad aurem :
 328 "Nate, age, quem rerum miseret, quem nescius orbis
 329 et videt, et summo delapsus ignorat Olympo,
 330 Haec domus absumpto (ut nosti) tristatur Iaccho,
 331 hoc tua, nate, nefas tollat praesentia, teque
 332 prosit adesse." Silet, monstrans opera ardua nutu,
 333 mox quibus exurgens felicis gloria saeculi,
 334 et quibus aetherae pandantur stirpis honores.
 335 Ipsa dies etiam, promissaque munera caeli
 336 instabant, precibusve salus adjuta parentis.
 337 Ergo Deo satus ipse, pioque incensus amore,
 338 se subito ad famulos perfert, mensisque relictis
 339 accelerat, lymphaque cados implere patentes
 340 mandat. Cunctantur famuli, pars nescia rerum
 341 se putat illudi, una tamen pars fontibus implet,
 342 fertque, refertque cados, genitrix quia jusserat ante
 343 sancta recusarent hujus me jussa ministri.
 344 Is stetit ut juxta, liquidis Deus imperat undis,
 345 sentit aqua insuetas vires, quibus humida Tethys
 346 et nymphae stupuere, sequi caelestia jussa
 347 gavisae ; gaudetque alieno ex munere Bacchus
 348 esse suum, et summi miratur numina caeli.
 349 Inde merum hauriri felicis conditor aevi
 350 e testa jussit, tectisque excessit apertis.
 351 Expediunt jussa ambigui. Sed levia postquam
 352 ire rubescentem cernunt in pocula Bacchum,
 353 divinumque meri excipiunt salientis odorem,
 354 obstupuere : velut dubitat, quem vana jacentem
 355 nocte sub obscura rerum portenta fatigant,
 356 an vigilet sensusve sopor deludat inanes.
 357 Unus praeterea ex numero nova primus Iacchi
 358 dona bibit : "Liquor ambrosiae est et nectaris (inquit),
 359 non nostri in terris crevit felicibus orbis :

360 non talem Mareotis alit, non Lesbia vitis,
361 non Ithaco talem Ismarius dedit hospes amico."
362 Sic fatus, famulique merum sitientibus addunt,
363 et pateras iterum mensis iterumque coronant.
364 Tum vero insuetis stupefacti pectora rebus,
365 factum insigne dei divinaque munera Bacchi
366 convivae casumque domus mirantur egentis.
367 Tum pius in medio meritisque insignis et aequo
368 obstupet haec Zebedaeus hians, secumque volutat
369 longaevus, multis cui vita exercita lustris,
370 canitiaeque caput multa resperserat aetas,
371 viderat is proavos natumque piamque parentem,
372 illum operis tanti lapsum non norat ab alto
373 auctorem humanoque latens in corpore numen.
374 Ergo avidus matrem alloquitur : "Dic, optima, nobis,
375 dic age nunc genitrix (nos tanta potentia quando
376 hactenus haec latuit, nostroque a sanguine ducis
377 clara genus natiue colunt tua pignora nostri)
378 qui nato ante tuo eventus ? Genus unde paternum ?
379 Divini sine stirpe patris non credimus ortum."
380 Sic poscit, vultumque silet non motus et ora.
381 Huc numero totis ingenti ex aedibus adsunt,
382 arrectique silent cuncti. Sic deinde rogata
383 Virgo parens caelo ante alias gratissima fatur :
384 "Non mihi magna fidem supra, nec vera liceret
385 nunc fari, nisi vos pietas et maxima, patres,
386 relligio, atque operis novitas nunc ipsa moveret.
387 Cognita multa quidem, e superis incognita multa
388 consiliis, caelique meos de semine partus,
389 gentis opem humanae dicam, natiue labores
390 expediam, monumenta sequens ab origine rerum.
391 Ipse novam primum quam dirigit ordine molem,
392 in partesque chaos, fierent quae semina rerum,
393 digessit, viresque pater tulit omnibus aequas
394 omnipotens latosque supra circumque moveri
395 et multo impleri caelos dedit agmine divum.
396 Quorum primus erat specie pulcherrimus Orcus,
397 in caeloque nefas ausus, super omnia sese
398 extulit intumuitque novo praecordia fastu."
399 Sic fatus, comitumque sibi tot millia junxit,
400 conjurata, sui oblitus dirumque secuta
401 turba nefas, scelerique ducis se tradidit atro :
402 inde extrema alios tradere in crimina secum.
403 Hoc ubi commissum, esse diu non passus in alto
404 caelo immane nefas genitor sedesque vacare
405 maluit aethereas, dira quam gente teneri.
406 Primum igitur saevumque ducem commotus, et omnes,
407 concilium infandum, comites ex arce suprema
408 praecipites pellit ; partem nunc Tartara claudunt,
409 aethere pars vacuo et terris inimica vagatur.
410 Inde ubi jam coepti percepit origine mundi,
411 is sibi praeferrari longe terraeque potiri
412 imperiis, caeloque genus succedere nostrum.
413 Quod genitor miserans aderant ubi tempora, jussit
414 spe certa impleri solvique piacula partu
415 virgineo amissamque peti reddique salutem.

416 Laeta ferebatur miseris mortalibus aetas,
 417 promissique dies fulgentibus appetit horis,
 418 nocte dabat media sese gratissima quondam
 419 late immissa quies ; passimque silentibus umbris,
 420 lucidaolvebant medios sua sidera cursus :
 421 ecce mihi ad lychni lucem certissima vatium
 422 lustranti monita et summi promissa parentis,
 423 mirantique forent qui casta ex virgine partus,
 424 emicuit pura ante oculos lux visa repente,
 425 qualis vel rima, e caecis vel saepe fenestra
 426 nubibus immissus fulgor per tecta refulsit,
 427 nocte sub obscura, de vertice lapsus Olympi
 428 ore novum vultuque gerens decus, aedibus infert
 429 nuntius ardenti divum se maximus ille,
 430 atque suum, caelo qualis spectatur, honorem
 431 explicat attonitaeque refert caelestia jussa :
 432 "Ne trepida, o virgo, toti quae foedera tandem
 433 mundo aeterna refers, terrisque optata salutem ;
 434 ipsius huc venio qui condidit omnia, jussu.
 435 Ipse suam genitor missurus ab aethere prolem,
 436 te sibi delegit gratam praeque omnibus ipse
 437 te sibi dilectam prolis jubet esse parentem.
 438 In lucemque feres, tibi virginitate retenta,
 439 educesque deum, vestro qui praebeat olim
 440 fas generi longumque nefas expellat, et undis
 441 omnia qua Tethys terram circumfluit omnem
 442 asserat, infernisque jugum cervicibus addat.
 443 Quid ? Si nulla parens cunctis ex matribus umquam
 444 virgo fuit, partum te sola ex virgine mandat
 445 esse Deus. Res nulla deo, cui summa potestas,
 446 difficilis factu : qua vi, quo semine primos,
 447 novisti, tulit ipse pater, finxitque parentes.
 448 Quid referam annosaque nurus, quibus edita proles ?
 449 Quid Sarram matremque tuam ? Est etiam tibi quondam
 450 Zachariae senis illa tuo de sanguine conjunx
 451 longaeva, insignem partum latura sub auras,
 452 qui terris prolemque tuam, dum venerit aetas,
 453 spes hominum, magnique decus praenuntiet aevi.
 454 Quare age, ne dubita, Deus haec opera alta facesset.
 455 Cede Deo, mirisque modis implebitur alvus
 456 prole nova partuque dabit cum numine prolem.
 457 Jamdudum haec animo mecum suspensa voluto
 458 jussa extrema dei. Tantum non serva coloni
 459 pauperis obstupuit, casta contenta Diana,
 460 cujus res Scythiae Aegyptique potens hymenaeos
 461 victus amore petit, dum rerum nescia versat
 462 se supra nimiam tacito sub pectore sortem.
 463 Ipsa quidem, ut partusque modum et caelestia jussa
 464 novi, tendo manus in caelum, exorsa vicissim
 465 has animo voces : "O qui mihi nuntius alto
 466 certus ades, summi que refers praecepta parentis,
 467 teque Deumque sequor : jubeat, quod postulat, ipse
 468 hoc sibi me gratam et dignam qui fecit honore,
 469 quem generis lapsi miseret durique laboris ;
 470 nulla mora, ibo equidem qua me velit. Haec ego tantum,
 471 tecto abigit curam, in caelum dum tollitur ille

472 ex oculis subito, et menti fert gaudia nostrae
 473 gavisus, quaeritque volans trans sidera sedem
 474 caelicolum aeternam, Boreae non flamine pressam,
 475 non nive, non pluviis, ubi fulget luminis ardor."
 476 Omnia laetari et circum veniente moveri
 477 visa deo, moveorque animis et pectore toto,
 478 igne incensa novo. Ecce viri sine semine proles
 479 (mentis supra aciem res ardua) sanguine nostro
 480 concipitur nostraque hominem Deus induit alvo.
 481 Vere rubens medio ceu flos felicibus hortis
 482 gignitur a solis radio in pluviamque solutis
 483 nubibus, atque solo caeca veniens alitur vi.
 484 Hactenus hoc nulli : famam sua proferet aetas.
 485 Ipsa domum (haud mora longa) viro comitata reliqui,
 486 tecta nurus gravidae studio longinqua videndi,
 487 annosique viri, patriae me summa recepi
 488 per juga, trans urbem Solymam a Samaritide terra,
 489 optatae delapsa domus ad limina veni.
 490 Forte colens varia texebat imagine telas
 491 gentis anus priscae ; hanc famulae mollissima juxta
 492 vellera carpebant mutusque in sede sacerdos
 493 adstabat, multis cui vita exercita lustris,
 494 taediaque amissae vocis tristisque senectae :
 495 haec multum intendens opera inter grata levabat.
 496 Illa ubi me gaudens subeuntem limina vidit,
 497 stamineque et radiis subito pensisque relictis,
 498 surgit et oblata me suscipit obvia dextra.
 499 Illius ecce, damus dum protinus oscula, fetus
 500 exsultans utero, nostra intra viscera clausum
 501 sentit adesse Deum, et miro sua gaudia motu
 502 (omen inauditum atque fidem res ardua supra)
 503 ostendit caelique genus praenuntiat infans,
 504 caelesti jam tum sua corda calens afflatu.
 505 Hoc etiam afflatu genitrix incensa profatur :
 506 "Tunc ultro superi generis, sanctissima mater,
 507 venisti ? Potuit non te via longa morari ?
 508 Non loca dura, gravis non te labor ullus euntem ?
 509 Tecum numen habes, mea quo perfusa calet mens,
 510 et tua caelestem mihi vim praesentia perfert.
 511 Teque genusque tuum mea nondum emissa propago
 512 praesentit, gestuque novo sua numina monstrat.
 513 Hunc mihi visurae infantem gravis o daret aetas
 514 nostra videre virum, totis sua numina terris
 515 monstrantem : ipsa meis manibus cui texere vestem,
 516 et fari, et domino possem servire vocanti,
 517 et tecum esse diu et vitam componere tecum."
 518 Sic ait illa meae prolis perfusa propinquo
 519 numine, meque, meo adventu laetissima, ducit
 520 castum intra tectum et famulas per limina coeptum
 521 tollere opus, mensisque epulas imponere mandat.
 522 Sanctum exercentes tandem discumbimus ambae
 523 colloquium. In mensa vatam responsa vicissim
 524 disserimus, laetosque instare agnoscimus annos,
 525 afforet Isaaci quibus alta a stirpe, domoque
 526 Jessaea, nostrae pretium et spes sola salutis,
 527 magna dei soboles." Ego sic : "Carissima conjunx

528 Zachariae, superest partus cui multa propinqui
529 gloria fecundaeque manet non dedecus ultra :
530 adsum impulsa Deo, seris tibi qui dedit annis
531 progeniem, mentique tuae se numine fudit.
532 Scire tibi farique dedit data munera caeli,
533 promissosque dies, alto quibus aethere prolem
534 sentit adesse Dei, atque utero praenuntiat infans,
535 caelesti jam nunc sua corda calens afflatu.
536 Mundo optata salus, rerum post multa volutis
537 saecula tot vicibus, vatium post multa propinquat
538 responsa imperiumque fuit regumque ducumque
539 hac nostra sub stirpe tenus, fuit haud leve nostrum
540 nomen. Jam veteris sublata insignia regni,
541 ut nosti, patria externo jam subdita regi,
542 qui patriaeque duces necuit legumque magistris,
543 ausus et annales nostrarum exurere rerum.
544 Quas etiam infantum audebit formidine caedes
545 demens. Me qualesque manent quantique dolores
546 sentio : crimen erit quantum, quantumque meorum
547 exitium, quantus Stygia de gente triumphus.
548 Jamque vides pacem et cunctis a vatibus illam
549 praedictam aetatem sanctique exordia saeculi.
550 Antiquae insidiae scelerataque semina morum
551 quae fuerint, cultusque Deum tollentur inanes.
552 Vana ruent simulacra, atri juga tristia fastus
553 inferna imperia, et sanctis cum ritibus aequa
554 surget relligio, terrisque videbitur olim,
555 regnabitque Deus, qui jura amissa reponet.
556 Interea laetique dies, et frondiferum ver
557 transierat primoque calens inceperat aestu
558 solstitium, annosae partus dum forte parentis
559 instaret, vatisque novi procederet ortus.
560 Jamque a complexu extremo sejuncta, revertor
561 antiquam in patriam cognataque tecta relinquo.
562 Tandem per rapidos soles, flaventiaque arva
563 perventum ad patriae sedem carosque penates,
564 tectum ubi depressum nobis, quo cernere divos
565 affarique datum, et prolem genuisse beatam.
566 Advenere dies, totus quibus orbis habebat
567 bellorum requiem, tam saevis saucius armis.
568 Saevierant totis inter se viribus et tot
569 cladibus Europa et Libyae durissima regna,
570 tum belli effusis Asiae gens omnis habenis.
571 Victus uterque tamen victrici cesserat orbis
572 Europae dederantque jugo sese unius omnes.
573 Quaeque sub Arctoo ardentisque sub aethere mundi,
574 quaeque utroque jacent gentes sub sole, regebat
575 Augustus, post tot strages, post plurima Caesar
576 bella, novam terrae pacem pelagoque ferebat.
577 Ipse suis ergo sub legibus omnia quae sunt
578 regna recognoscit pariter capita omnia vulgo
579 censeri mandat numerumque et nomina poscit.
580 Haud secus ac dives, cui sunt ingentia rura,
581 multa armenta, greges varii in silva Jerichontis,
582 et Libani in dumis errant, et flumina circum
583 Jordanis, laetoque bibunt in gurgite Nili,

584 per stabula et saltus pretium scrutatur, et usum
585 feturae signatque pecus numerumque recenset.
586 Accelerant populi, gentesque ad jussa vocatae
587 innumerae, accelerat Jessaea ad moenia primam
588 nostra tribus clarumque genus de sanguine regum.
589 Conveniunt fessique senes puerique virique,
590 et matres castaeque sua de sede puellae.
591 Huc ergo comitata viro et censum dare jussa,
592 proxima Lucinae venio, per frigora multa
593 durae hiemis, mihi onus gravidae non obfuit alvi.
594 Ibam adjuta deo, ventris qui sede latebat
595 ingens angusta viresque ferebat eunti.
596 Urbis ad Ephratae muros sedemque parentum
597 affuimus, serum cum caeli accederet ignem
598 vesper ab occasu et cunctos in tecta vocaret.
599 Implentur numero ecce domus et compita late.
600 Imbre velut gelido campis vel sole cadenti
601 sentibus ad tumulum dumisque virentibus atrum
602 circum urgentur aves, et silvas agmine complent,
603 confusaeque sonant. Plena multi urbe vagantur,
604 exclusi tecto, et noctem brumamque ferentes.
605 Ergo huc atque illuc circumque sonantibus omnem
606 aedibus in partem ferimur passimque per ipsam
607 urbem agimur ; circumque oculos intendimus, esset
608 si locus hospitio nobis, si forte recessus,
609 qui saltem hibernosque notos arceret et imbres,
610 duro ubi nocte jacere solo contingeret illa.
611 Parte relictas domus plenae jacet urbis in ima,
612 fractus utrimque vetus paries disjectaque valvis
613 hostia, speluncae in faciem curvata recumbit,
614 et protenta tegit rupes gelidamque ministrat
615 aestibus in mediis pecori et pastoribus umbram.
616 Huc Jessaeus oves (ut dicunt) pastor agebat
617 frigus in aestivum, mediis dum solibus ardor
618 urgeret, sanctosque dabat testudine cantus
619 mulcebatque gregem et nasci sub rupe canebat
620 aethereum regem, atque humili sub culmine numen,
621 natalisque loci cantu tollebat honores.
622 Hic locus horreret quamvis inglorius olim,
623 desertusque foret longaque humesceret umbra ;
624 pastores dulci jam tum capiebat amore.
625 Huc subeo. Haec fessamque pio cum conjugis sedes
626 excipit assurgens : "Hanc rerum intramus egentes,
627 noctis inhorrentem tenebris pressique locamur
628 ambo solo in duro victuque epulamur agresti.
629 Vestibus et circum tegimur noctemque jacentes
630 accipimus foliis effulti arenis ambo,
631 cratibus in terra et sudibus praesepia juxta
632 structa, quibus stabant asinus pedibusque vagis bos."
633 Noctis erat mediae felix jam tempus, et altam
634 umbra ingens tulerat terris infusa quietem.
635 Maximus instantis genitor dum lucida partus
636 signa dedit multoque mihi se numine fudit.
637 Ecce novis alto demissus ab aethere fulgor
638 effulsit radiis divinae lucis et antrum
639 implevit coepitque nova circumdare flamma

640 me primam, et partes sese diffundere in omnes,
641 quattuor in ventos, tenebrasque resolvere terris.
642 Divum exaudiri cantus et gaudia toto
643 monstrari caelo : in somnis praesepia juxta
644 adstabam et supplex animoque et mente ferebam
645 altius haerebamque Deo, cum sancta propago
646 aedita clauso utero, et matris sine nixibus ullis
647 emicat ante oculos pretium et spes certa salutis,
648 patris amor summi, vitamque exorsa sub axe
649 a vagitu, omen gravium signumque laborum,
650 nascentem haud sensi : vidi cum lumine natum
651 infantem. Veluti si quis se puppe moveri
652 ad portum celerans mediis non sentiat undis,
653 pectore vel si quis spirans non sentiat auram,
654 sive oculorum agitans si quis non sentiat orbes.
655 Jamque ego mox agilis partuque animosa recenti
656 congestis foliis modico praesepibus illum
657 tegmine velatum, a patria quod praescia mecum
658 attuleram, si forte dies contingeret ultro
659 Lucinae, capiti submissa cote locavi.
660 Haud mora, tendo manus supplex cum conjuge casto,
661 atque meum summique genus genitoris adoro.
662 Ecce fidem supra, saeculi res maxima nostri ;
663 obstupet intentis oculis bos pronus et una
664 tardum asinus pecus ; ambo obliti pabula laeta
665 incurvant genua et regem venerantur Olympi,
666 congestis puerum stipulis ante ora jacentem
667 mirati monstrantque novo sua gaudia gestu.
668 Hic vero variis rursum novus aethere in alto
669 exoritur numeris cantus : chorus emicat ingens
670 caelestum supra, ac domino famulantur ovantes,
671 usque canunt summoque satum genitore salutant
672 dura inter saxa et pecora inter muta jacentem,
673 sedibus angustis et curvae rupis in antro,
674 venturique novo saeculi laetantur honore.
675 Lapsa iterum ingeminat caeli de vertice flamma
676 ingens, quae cum sidereo divum comitatu,
677 finibus agrorum silvisque et saltibus ardet.
678 Qua clausum insomnes servabant agmine magno
679 nocte gregem arcebantque lupos nocturnaue furta
680 pastores, qui multa ferunt incommoda nocte.
681 Olli omnes stupere novamque per aethera lucem
682 diffusam timuere, novaeque incendia flammae
683 suspiciunt trepidi, rursum jubar emicat ingens
684 de caelo, et liquidas vox est demissa per auras :
685 "O vos felices, caelo dilecta juvenus,
686 pastores, Deus ante omnes sua munera vobis
687 scire jubet magnumque sui decus incrementi
688 progeniemque suam. Jacet in praesepibus infans,
689 custodisque viri et divae genitricis in ulnis,
690 rupe sub incurva, pecora inter agrestia natus.
691 Omnia qua Tethys terram circumfluit omnem
692 asseret infernisque jugum cervicibus addet.
693 Ergo agite, et vestrum et vestri dominum gregis una
694 agrestumque Deum et regum venerabile numen
695 quaerite, cui sanctasque preces et vota feretis.

696 Hunc servate diem, gaudet quo regia caeli,
697 quo pacem aeternam et magnos capit orbis honores."
698 Gavisi hoc monitu decus ingens lucis, et alto
699 pastores missam mirantur ab aethere vocem :
700 "Prole nova quaerunt, quantos ferat orbis honores,
701 qua sub rupe, quibus jaceat praesepibus infans."
702 Horum in conspectu caeli globus igneus agris
703 pervolitat signatque viam quae ducit in antrum.
704 Mox sedet elucens magis alto in culmine saxi.
705 Quale micat lapsum noctis dum fulgur in umbris,
706 militis aut pilis, aut cornibus antemnarum
707 insidet, et medio perterret in aequore nautas.
708 Haud mora, collecti numero simul ocuis omnes
709 accelerant quo flamma vocat, lauroque virenti
710 palmaque et laetae ramis ornantur olivae.
711 Per ventum angusti deserta ad limina tecti,
712 natum introgressi et laetam ut videre parentem,
713 genua solo incurvant et sanctum numen adorant
714 in stipulis puerum pecora inter muta jacentem ;
715 munera dant nato, hic mella, hic purissima farra,
716 agnum alius niveum, perfectis gaudia votis
717 ingeminant, repetuntque gregem lateque per agros
718 rem magnam sociis referunt. Stupet incllyta Gaza,
719 Asphaltisque lacus stupet et gens omnis Ioppes,
720 miraturque Sion : perfunditur omnia fama.
721 Jamque aderat bis quarta dies, qua foedere facto
722 membri in glande cutem saxo genitalis acuto
723 rex hominum divumque pater praecidere quondam
724 Nachoridem patrem et parvae dare nomina proli
725 jussit, et hunc castos morem servare nepotes,
726 donec tempus erit, vetiti quo crimina morsus
727 expiet humanumque nefas missa aethere proles
728 et veterem in melius ritum permutet avorum,
729 impiaque evertat gentis simulacra profanae.
730 Ergo meum caelique genus de more cruorem
731 respergit sceleris jam prima piacula nostri
732 et firmat caelo ante salubre datum sibi nomen.
733 Tres Arabum in terris aurorae in partibus olim
734 regna et opes habuere Magi, non parva suorum
735 gloria, Ballamique genus de sanguine vatis,
736 tres pietate pares, multa insignes animi vi,
737 multa acie mentis, multis quoque non leve sanctis
738 artibus ingenium exculti ; tribus una senectus
739 prima oritur. Sed paulo aliis Appellius aevo
740 major erat, par forti Amero Damasius annis,
741 idem rex hominum, et signorum maximus idem
742 interpres, fama Aethiopum notissimus oris.
743 Una tribus studia et primis amor unus ab annis.
744 Astabant fortasse jugis tres montis in altis.
745 Et varios caeli motus de vertice summo
746 errantes septem et fixos ter quattuor ignes
747 spectabant, caelique viam, qua labilis annus
748 volvitur, et magnus quae sidera digerat orbis.
749 Ecce sub ora virum per sudum, qua nitidus sol
750 orbem aperit, puris oritur fulgoribus astrum,
751 aetheraque incendit radiis ; Eurique movetur

752 ad medium de parte diem et per inania juxta
753 praecedit, nutuque vias ostendit aperto
754 divinam ad prolem, Solymaeque ad moenia gentis.
755 Mirati aspiciunt, quod fulget in aethere sidus
756 ingens portentum. Primus, cui numine magno
757 mens calet effatur tali Damasius ore :
758 "Quaerimur, o socii, ecce vocant nos talia signa.
759 Cernite : non est haec, summo quae fixa feratur
760 stella polo, non bella minans aquilone cometes
761 horridus, et tristi ducens cum lumine crinem.
762 Hoc jubar agnosco sanctum, quod fulget Eois
763 sedibus, et placido pacem denuntiat igne,
764 secum numen habens Eurique movetur aperta
765 ad medium de parte diem Judaeaque longe
766 regna petit, residet modicis ubi maxima tectis
767 caelesti genita humanoque a semine proles.
768 Magne pater, duc, si qua via est, prolemque beatam,
769 felicemque ostende locum : tres ibimus una,
770 quo, pater, ire jubes. Nato tria digna ferendus
771 dona tuo laeti et meritum solvemus honorem.
772 Huc ades ignarosque tua nos dirige flamma."
773 Haec effatus erat, dum spe capiuntur ovantes.
774 Et comitum numero stipati subjiciunt se
775 veloces in equos ; celerant, qua lucida monstrat
776 stella viam, totosque dies noctesque relucet.
777 Jussa velut votis famulatur, fessa quieti
778 membra dare et dapibus refici potuque volentes
779 exspectat, gradiensque iterum praecedit euntes.
780 Postquam urbem ad Solymam saevique ad moenia regis
781 perventum, sese (non dico incerta) repente
782 pollutoque loco gentique inimica recondit.
783 Eripiturque oculis reditura novamque datura
784 laetitiam, sed tunc animos amissa fatigat.
785 Olli urbem tristes ineunt, natumque reposcunt,
786 monstratumque novo Solymorum sidere regem ;
787 progressique vias implent rumoribus omnes,
788 turbantur Solymi, furiis rex impius ardet
789 regno opibusve timens, sibi pandi oracula poscit,
790 infantisve locum natalem et moenia discit.
791 Affaturque Magos sanctamque exquirere prolem,
792 et petere Ephratam hortatur, rursumque reverti
793 ad sese, fictaque nefas pietate volutat.
794 Munera se simulans dignosque immanis honores
795 laturum infanti, parat atro funera luctu.
796 Illi iter expediunt sceleris gens nescia tanti,
797 egressique migrant portis, jamque, urbe relicta,
798 ibant ignotaque viam regione tenebant.
799 Dux in conspectu radios dum stella priores
800 ore gerit roseo caelique per alta refulget.
801 Tum vero intentis animis laetantur, et alte
802 suspiciunt clarumque jubar clamore salutant.
803 Exactis spectare duas velut imbribus Arctos
804 servatumque Polum medio juvat aequore nautas.
805 Illa novo liquidum subvecta per aethera motu
806 praecedit, modici supra fastigia tecti
807 consistit, nutuque domum demonstrat et auras

808 munere perfecto in tenues delapsa recedit,
809 in ventos late diffuso quattuor igne.
810 Protinus huc subeunt parva intra limina laeti,
811 angustosque lares, caram ut videre parentem
812 submissi genitumque Deo sub paupere tecto.
813 Talibus assurgens dictis Appellius infit :
814 "Magne puer generate Deo, de semine proles
815 mortali, nostro optatum quem cernimus orbi,
816 affore quem divi et sancti cecinere parentes.
817 Salve, magne puer, cujus jam numine terra
818 impletur scelerisque lues purgatur aviti.
819 Cui populi extremaeque ferent nova munera gentes.
820 Liquimus impulsus patriam, sanctoque vocati
821 adsumus igne tuo, et votis tua jussa secuti,
822 his te muneribus primi, quibus inclyta tellus
823 Aethiopum, quibus et Persae, et quibus omnis abundat
824 gens Panchaea, tribus dignabimur : accipe myrrham,
825 accipe thura, puer, purumque quod additur aurum."
826 Sic fatus, cuncti procedunt ordine palmas
827 tendentes, summique genus genitoris adorant,
828 accumulanteque tribus donis. Jam rite solutis
829 una abeunt votis, et saevae moenia gentis
830 caelesti monitu et versantem funera regem
831 effugiunt patriamque remota per aequora quaerunt.
832 Jamque quater decima a partu processerat orto
833 sole dies, dici potuit quae lustrica quondam,
834 ad templum dum me patrio de more recepi
835 natum aris statuens gemina cum prole columbae.
836 Tum senior vates, divis quo carior et quo
837 (ut dicam) melior cunctis in gentibus alter
838 non fuit, instabat Simeon, parcaeque suprema
839 tempora transgressus fatali annosior aevo,
840 servatusque Deo, tales cui fuderat imo
841 corde preces, cuperet caeli dum cernere prolem
842 ante obitum in terris : "Tu quem veneramur ad aras,
843 laturum generi lapso quem credimus olim
844 auxilia, hoc tanto da munere rector Olympi
845 laetari, atque animi votum succedere nostri :
846 spem valeam ut nostrae pretiumque videre salutis
847 caelestem sobolem sanctique exordia saeculi
848 ante obitum in terris. Sola haec mihi gaudia vivo
849 sufficient, tolletque meae spes taedia vitae.
850 Si pater annueris, si mentem numine firmes
851 motam ardore tuo, vincar non casibus ullis
852 exspectans reddamque animam tibi laetus : et omnes
853 laetitia implebo patres delapsus ad umbras."
854 Has pater ipse preces summi rex magnus Olympi
855 accepit votumque animi succedere, et illum
856 Parcae ultra fatique dies superesse supremos,
857 laetarique dedit prolemque videre beatam.
858 Ergo optata dies aderat, dum venimus altum
859 cum puero ad templum, cujus sua corda sacerdos
860 affuit afflatu impulsus, nec gaudia passus
861 differri ; puerum cupide est amplexus, et ultro
862 os reserat, veroque canens haec pectore promit :
863 "O decus, afflictique salus tutissima mundi,

864 o voti spes summa mei, mea sola voluptas
 865 exspectate puer, summo sata patre propago,
 866 casum hominum miserans caeli de sede suprema
 867 tot revoluta venis post saecula totque volentem
 868 impulit in varios nostr<....>ra labores. (passage altéré par des
 869 O mihi te terris jam <....> videre piantem traits de plume et des
 870 crimina quam pulchrum, et lustrantem lumine mundum, tentatives
 871 promissoque frui. Lucis <...> cernet honorem d'effacement.)
 872 capta animo, scelerumque <.> peritura suorum
 873 impia gens spernetque suam male sana salutem.
 874 Quam neque fas morumque decus, quam nulla movebunt
 875 prodigia in melius, neque supra hominem ardua facta.
 876 Heu tibi quam diras odiis parat excita caedes
 877 indignamque necem, nulla satiabitur ira.
 878 Tu genitrix, tu testis eris. Quam tristis ab imo
 879 corde dabis gemitus, quantos patiere dolores,
 880 tecum suspirans graviter, dum dura tuorum
 881 corda novumque nefas, multo dum vulnere cernes
 882 funestae caesum crucis alto in stipite corpus,
 883 atque illudentis turbae convicia circum.
 884 Sentiet ipsa tremens tellus vultumque tegens sol
 885 et superi, signumque dabunt miserabile manes.
 886 Contra lux aderit, qua jam laetabere, dum te
 887 rursum sumpta anima primam post fata reviset
 888 Infernae gentis revocans de carere victor
 889 captivas animas in regnum natus Olympi.
 890 Semper erunt propria haec tibi gaudia, ubique vocatum
 891 in cultus genus omne pios vertetur et aris
 892 Christo ipsi atque tibi sanctum persolvat honorem.
 893 Jamque vale, puer : est mihi te requies data viso.
 894 Diva, vale, genitrix, decedo laetus et ipsis
 895 gaudia laturus patribus delabor ad umbras."
 896 His dictis, stupuere animi, et gavisia piorum
 897 corda magis. Vates referens longaeva canebat
 898 rem magis Anna novam ante alias justissima matres
 899 multo afflata Deo : fatali annosior aevo
 900 munus ad hoc sanctum famam servata serebat
 901 omnibus illa locis, promissam instare salutem,
 902 caelesti natum humanoque a semine regem,
 903 numine cum valido, totus cui serviat orbis.
 904 Per populos rumor variis diffusus in oris
 905 consurgit regisque volat delatus ad aures
 906 Herodis ; variosque movet discrimine motus
 907 acri odio ingentique animum formidine turbat.
 908 Aestuat hic furiis amens, accenditur ira,
 909 regno opibusque timens secumque infanda voluta :
 910 effera seu sicco catulis in littore tigris
 911 perfurit amissis, medium dum raptor in aequor
 912 accelerat rabiemque ferae deludit hiantis.
 913 Humida jam noctis terras velaverat umbra
 914 infuso ducens optata silentia somno ;
 915 nuntius ex superis dum multa exterruit unus
 916 luce virum, primaeque datum sic voce quieti
 917 admonuit : "Nati custos divaeque parentis
 918 surge age, non tutam casus sinit esse quietem
 919 atram inter gentem. Furiis rex aestuat amens

920 Herodes, pueroque necem molitur acerbam ;
921 infremit ex humili in regnum sublatus et arcem
922 vi tenet ; invisusque suis timet omnia et omnes
923 suspectos habet atque nefas saevissimus audet.
924 Non sociis, non germanis natisque pepercit,
925 dilectisque tori consortibus ; horret acerbis
926 caedibus atra domus foedique cruore penates.
927 Saecula quod tantum parat exsecrata fuissent
928 prisca nefas, tantum non horruit aerea tauri
929 machina Trinacrii, non tam crudelibus aris
930 Busiris, non Bistonii praesepia regis.
931 Illususque magis et fama exterritus, omnes
932 jam bimos late atque omnes quibus est minor aetas
933 auferet infantes, ut tanta in strage trucidet
934 caelestem puerum. Miseri, dum quaeritur unus,
935 omnes perdentur, clementia nulla tyranno est.
936 Saeviet Ephratae parvam diffusa per urbem
937 tempestas, etiam per proxima turbine multo
938 oppida finitimumque solum, jam compita late
939 omnia et innocuo tingentur sanguine tecta.
940 Instant vagitus tristes saevique dolores.
941 Quos gemitus et quos maestae matres ululatus,
942 quasve dabunt lacrimas, dum duro a milite natos
943 corripier duroque premi dum vulnere cernent ?
944 Et cadet hac rabie caesis in milibus unus
945 natorum Herodis, res tristibus impia scaenis.
946 Heu, fuge, teque neci et sancta cum prole parentem
947 eripe, per caecam tuti discedite noctem,
948 accelerate viam, ne quis vos spectet euntes.
949 Externasque procul tandem venietis ad urbes,
950 Aegyptique domos et culta a patribus ara
951 quae rigat effusus septeno flumine Nilus.
952 Illic tuta quies vobis tutique penates.
953 Ire illuc jubet incolumes vos hoste perempto
954 maximus in patriam genitor post longa reducet
955 exsilia. Haec fatus casti se conjugis aufert
956 aspectu et noctis fugiens involvitur umbris.
957 Olli abrupta quies fessoque ex corpore somnus
958 pellitur, exurgit stratum (est mora nulla) relinquit
959 attonitus summique refert mihi jussa parentis.
960 His externa agimur monitis exquirere regna,
961 frustrarique fuga rabiem trucis una fuit mens
962 diram animi nobis, et acerba evadere tela.
963 Ad pectus complexa premo circumque reducta
964 natum veste tegens rerumque exterritus aufert
965 fascem inopum conjunx tacitisque excedimus umbris.
966 Per saltus trepidi gradimur perque avia lustra
967 noctem illam, et durae ferimur trans limina terrae.
968 Sole sub exorto tandem vicina subimus
969 arva Palaestinae, metuendaque moenia gentis
970 effugimus, quibus arte sua vir cognitus esset.
971 Inde dies multos multasque per aspera noctes
972 deserta et silvas Arabum fessi sine tecto
973 imus, et incultae per multa pericula terrae ;
974 servatosque Deo, quem diri a caedibus hostis
975 extulimus, longo Pharos excipit insula ponte.

976 Tum novus antiqua Libycae de stirpe Sibyllae
 977 surrexit vates sanctique genus Trimegisti
 978 esse ferebatur ; fuit illi in pectore numen,
 979 quo solitus quondam afflari ter maximus Hermes.
 980 Ille Parethoniae populum laetissimus urbis,
 981 Pellaeasque domos et moenia lustrat Acanti,
 982 adventumque Dei denuntiat : "Huc puer, inquit,
 983 patre satus summo Isaaci de semine Nilum
 984 quaesivit, nostrique latet non cognitus oris,
 985 cui genus humanum, cui totus serviet orbis,
 986 quem metuunt manes, cujus jam numine terra
 987 impletur scelerisque lues purgatur aviti.
 988 Talibus Aegyptus monitis exhorruit omnis,
 989 Graeciaque et claram pressere oracula Romam,
 990 Roma Aram Augusto, esse ducis dum numina credit,
 991 extulit Augustoque dicant delubra Pelasgi.
 992 Hunc patria egressum fari terrisque latentem
 993 Niliacis vates, sed non ostendere coram
 994 inventum potuit : locus ille diesque negabant,
 995 temporibusque bonus servans pater omnia certis.
 996 Ignoti colimus Memphitis moenia, donec
 997 quaerere tot patriam lapsis impellimur annis
 998 caelesti monitu externoque excedere regno
 999 infantumque necem audimus mortemque tyranni
 1000 horribilem infandi, quem tristibus aspera poenis
 1001 sustulit ira Dei pestemque exstinxit acerbam.
 1002 Ille Deo ut genitum caesis aequalibus amens
 1003 impetiit, scelerum dira vexatur Erinny,
 1004 morborumque lue, qualem non viderit aetas
 1005 ulla prior. Toto crudescit corpore febris
 1006 indomita et rapido membris fuit omnibus aestu,
 1007 ilia singultus quatiunt, infectus et haeret
 1008 putor abundantanti sanie vivumque pererrat ;
 1009 pejor ab ulceribus laceratique halitus exit
 1010 oris ab ingluvie ; depascit ad usque medullas
 1011 viscera parvorum foeda illuvies animantum ;
 1012 horrent his mixtae (visu miserabile) Echidnae,
 1013 totque dies noctesque dolor diffunditur omni
 1014 parte novus : cultro toties occidere sese
 1015 conatur, furiis animum succenditur ille,
 1016 caede domum dira maculans, natumque trucidat
 1017 morte sub urgenti, clausosque extinguere mandat
 1018 Judaeos proceres, communi funus ut atrum
 1019 luctu habeat, lacrimasque extremo ut quaerat honori
 1020 exspiratque furens : de pectore pellitur atro
 1021 atra anima ultrices Erebi dejecta sub umbras ;
 1022 succedit Solymae parti patre pejor acerbo
 1023 filius, Arpinis qui vitam moenibus exsul
 1024 exegit longos ducens sine nomine luctus.
 1025 Linquimus Aegyptum externisque excedimus oris.
 1026 Post duros ventum est Judaeae ad limina casus,
 1027 Ephrataeque domos Solymaeque pericula terrae,
 1028 rectoremque ferum fugimus gentemque cruentam.
 1029 Ocius hinc patriae progressi appellimur urbi,
 1030 Nazareumque larem cognataeque agmina gentis
 1031 agnosco ; ingentique locus natalis amore

1032 incendit modici subeuntem limina tecti.
1033 Hic nobis inter notos, hic tempore certo
1034 tuta quies tandem, atque in parvis otia rebus.
1035 Praeterea cedit rursum dum cultus ad aras
1036 solemnis sanctoque dies servatur honore,
1037 gens Solyma accelerans tosto qua vescitur agno,
1038 arces ad Solymas socio simul agmine gentis
1039 agnatae de more feror cum conjuge casto,
1040 incedit bisseña puer cui ducitur aetas,
1041 nobiscum, ingentes gemitus et multa vicissim
1042 gaudia laturus : "Votis jam laeta solutis
1043 me rursum in patriam socia cum gente ferebam."
1044 Dum comitum turbam occultus carosque parentes
1045 deserit, ex oculisque suo se numine tollit
1046 filius, interea cum matribus anxia carpo
1047 luce viam tota, noto simul ire virorum
1048 illum cum numero credens turbamque secutum,
1049 seque pio junxisse patri carisque propinquis.
1050 Tempore non alio mihi tantum aliena fuit mens :
1051 solus amor meus ille, meae spes unica vitae
1052 abfuit exorto dum vespere tecta subimus
1053 hospita, fessus ubi optatam cum prole parentem
1054 exspectat pater, heu puero doliturus adempto.
1055 Quos animo luctus ? Quos illo absente dolores
1056 coepi ? Quae largas oculis lacrimas effudi ?
1057 Noctem illam in tenebris mecum sine mente querebar
1058 insomnis casuque novo turbata gemebam.
1059 Qualis ovis fetu amisso balatibus implet
1060 rura nemusque gemens et notum saepe recurrit
1061 ad stabulum, totoque gregem perlustrat ovili.
1062 Illam non liquido quae vallem interfluit unda
1063 flumine, nulla novo canentia rore morantur
1064 gramina, non ramis densae frondentibus umbrae :
1065 "Arces ad Solymas Cyprii sub luminis ortus
1066 maerenti ante diem tristis cum conjuge rursum
1067 me refero hesternamque viam progressa recurro,
1068 huc ubi perventum ; duro jam nulla labori,
1069 nulla quies curis, gemitu per compita multo
1070 perque domos notas et per diversa locorum
1071 saepe regressa vagor mentemque agitata fatigo.
1072 Tres sine fine dies, totidem sine pignore noctes
1073 conqueror insomnis, maestique ita vocibus insto :
1074 "Dulce meae solamen ubi et gratissima nate
1075 nate jaces animae requies ? Quis matre relicta
1076 te tenet occultum locus ? Aut quae dura fatigat
1077 fortuna ? Heu vereor saevos instare dolores
1078 funestosque dies, sancti quos numine vates,
1079 quos Simeon cecinit, mecum quos mente voluto ;
1080 ullane, si qua fuit, te, care, incuria matris
1081 offendit ? Generisve nefas exosus iniqui
1082 me sine liquisti terram caelumque petisti ?
1083 Tot duros casus tecum, tot laeta labores
1084 exegi : dedit illa tui nox gaudia partus
1085 muta inter pecora immitis per frigora brumae
1086 rupe sub incurva. Monitique furentia tela
1087 fugimus infestumque fuga delusimus hostem.

1088 Tecum Arabum per longa viam deserta peregi,
1089 nulla tulit Nili exsilium mihi taedia tecum.
1090 Forti animo volvens incerta pericula mecum
1091 duxisti externis vitam tutissimus oris.
1092 Te nunc in patria notaeque in moenibus urbis
1093 amisi infelix cognatae ex agmine gentis
1094 sublatum, quantis me solam, o nate, relinquis
1095 sollicitam curis ? Quid agam ? Te tristis adempto
1096 non superesse queo. Gemitu sic tristia multo
1097 corda fatigabam sanctum dum numine dextro
1098 templum impulsa peto : huc vitae lux maxima nostrae
1099 se tulerat natus caelesti insignis honore,
1100 grande suae cupiens mentis depromere lumen."
1101 Namque puer caeli specie spectatus amoena
1102 patrum in concilio, sacra intra tecta sedebat
1103 conventu in medio ante aras, nunc ardua coram
1104 multa rogans, nunc multa docens incognita terris
1105 figebatque animos dictis. Ceu nubila quando
1106 exoriens jaculis penetrat sol lucis acutis,
1107 discutit et radiis umbras noctisque soporem.
1108 Haerebat mentem attonitus spectator et ipsa
1109 turba sacerdotum stupefactaque curia patrum.
1110 Nos ubi per medium ingressas delubra coronam
1111 spectantum medioque in limine vidit euntes,
1112 surgit et in multo primam petit agmine matrem,
1113 ultro progrediens, lacrimis mihi quanta subortis
1114 gaudia dat ? Redditque animum mentemque receptus.
1115 Illum ego sic : "Post tot lacrimas luctumque tuorum
1116 es tandem inventus. Quae non diversa locorum,
1117 quae non cum gemitu lustravi compita, quas non
1118 maesta domos, te, care, diu mi nate, requirens ?
1119 Quin potius (solitum ut semper tibi) certus abibas
1120 matre salutata ? Poteram vitare dolores
1121 tam duros, quoties animum percussa timore
1122 transactos memini casus metuique futuros
1123 vimque odii veterem et saevae tela impia gentis ?"
1124 "Ipsam te novi, o genitrix, (ait ille) dolentem,
1125 lustrantemque vias urbisque frequentia tecta.
1126 Si patris ipsa mei, rerum cui summa potestas,
1127 sancta prius petiisses limina, non tibi luctus
1128 causa fores nec tot lacrimas gemitusque dedisses.
1129 Haec mihi cara domus, cari (mihi crede) recessus,
1130 esse licebat ubi et vires aperire paternas.
1131 In me odii (haud metuas) vis nulla potest, nisi tempus
1132 esse sinam, quo sponte ferar." Sic pauca locutus
1133 procedit patriamque volens ac tecta parentum
1134 nobiscum repetit, dignam quam numine sedem
1135 fingit, praeclaroque habitans insignit avitos
1136 tantus honore focos, aliud nihil hactenus egit
1137 supra hominem : ex illo mecum sine nomine vixit :
1138 huic Deus est pater, et mater de sanguine regum :
1139 ire licet gestis potuit super omnia rebus,
1140 atque opibus fluere et cunctos sibi subdere reges,
1141 incedens cum sidereo divum comitatu ;
1142 verum non regni motus, non gentis honore,
1143 non studio famam quaerendi impulsus inani,

1144 spreter opum, angustum multos incognitus annos
 1145 incoluit tectum et vitam toleravit egentem
 1146 nostra juvans opera, adversis patiens voluit se
 1147 subdere. Sic genitrix nati genus alma paternum,
 1148 divinumque decus docuit primosque labores.
 1149 Olli plura animis omnes cupientibus haerent
 1150 attoniti, matrisque novo sermone morantur,
 1151 et nati mirantur opus, mensisque relictis
 1152 continuo sua tecta petunt magnamque reversi
 1153 rem cunctis referunt et claris laudibus ornant.

FINIS PRIMI LIBRI.

LIBER SECUNDUS.

C_2 v.1 Multis primi operis fama jam cognitus oris,
 2 jam vatis digito, jam summi voce parentis
 3 orbi monstratus felicitis conditor aevi,
 4 lucis ubique suae decus ingens et sua miris
 5 numina per populos, Galilaea per oppida signis
 6 ostendit vitaeque docet venientis honorem,
 7 pallantesque in tutum animos vigilantior omni
 8 upilione vocat, silvis qui nocte flagrantem
 9 fert taedam notoque gregem clamore requirit
 10 errantem, tuti revocans ad limina tecti,
 11 collectumque fovet. Cultus redit annuus aris
 12 interea, ritumque dies servata parentum,
 13 gens Solyma accelerans tosto qua vescitur agno.
 14 Urbem ergo ad Solymam terris arcemque sacratam
 15 itur ab externis : numero simul undique vulgus
 16 affluit ingenti, pueri cunctaeque puellae
 17 matribus annosisque viri senibus commixti
 18 conveniunt graditurque suis comitantibus ipse
 19 purgator scelerum Christus, natumque secuta
 20 ingens orbis honor caelo gratissima mater.
 21 Intus erat templo structis latissima juxta
 22 atria porticibus multum servatus avita
 23 relligione locus : puris huc plurima laeti
 24 orantes populi cum votis dona ferebant.
 25 Hic sacer interpretis legem vatumque docebat
 26 sancta pius monita et patrum monumenta piorum.
 27 Verum ubi mutata est hominum cum moribus aetas

28 in pejus lucrique incendat acerba cupido
 29 corda sacerdotum infelixque fovens fragili spe
 30 obruit ambitio, templi spernuntur honores,
 31 atque loco in sancto, sacrae intra limina sedis
 32 fit rerum commune forum : templumque profano
 33 foenore miscetur, quaestum ut venalibus ipsi
 34 mercibus et pretio excipiant ut dona ministri
 35 sacrorum. Hic multae volucres, hic plurima laetae
 36 victima mille boves candenti cum grege multo
 37 lanigeri pecoris, commixta animalia coetu.
 38 Parte graves alia loculi aera ingentia mensis,
 39 ponderaque argenti lucroque doloque parata,
 40 sacratam ad sedem ruit ingens undique turba,
 41 ceu viridem penetrant hirci de saltibus hortum
 42 immundique sues, saepem solvente subulco
 43 fortibus intextam vallis circum. Huc ubi Christus
 44 affuit et rerum vidit tot sordibus arcem
 45 pollutam patris, tot sacro in limine pestes,
 46 multum indignatur : capit ardens aspera septem
 47 lora annexa simul : sunt centum licia cuique
 48 intorta immixtoque metu dolor additus atro.
 49 Dat vires etiam nato, dat lumina circum
 50 clara humeris capitique Pater. Prope ovilia quales
 51 per noctem accensos in silvis dum fovet ignes
 52 rusticus, exosi lucem formidine fures
 53 diffugiunt abeuntque ferae per devia lustra.
 54 Ardet tale jubar capiti multoque timore
 55 circum humeros fusum ultricem denuntiat iram.
 56 Ipse igitur templum ingreditur motusque flagellum
 57 erigit et dictis vulgus castigat avarum :
 58 "Impia mens ne adeo, miseri, non creditis istis
 59 sordibus esse nefas sacratae limina sedis
 60 foedari ? Vos omni agitis scelere improba rerum
 61 in templo pretia ante Deum : jam crimina vestra
 62 exigite, ite citi, haec summo delecta parenti
 63 est domus, hic precibusque locus votisque dicatus."
 64 Olli continuo divini fulgura vultus
 65 terrificamque timent vocem plagisque parata
 66 verbera ; ter pulsati trepidant, ter numine saevo
 67 confusi strepituque tremunt pecora omnia multo.
 68 Ipse per <hanc> turbam horribilis se fulminis infert
 69 more ruens Boreae ceu qui ciet aequora turbo,
 70 praecipitat mensas et longa sedilia primum,
 71 diffunditque solo tabulasque et nomina miscet,
 72 disjecti loculi disjectaque gentis avarae
 73 aera sonant, sacro jacet ingens limine gaza
 74 per terram late lucroque dolisque parata.
 75 Diffugiunt trepidi : tot contra ex milibus audet
 76 nemo loqui, nemo offensum tot sordibus audet
 77 exspectare Deum sacraque in sede morari.
 78 Tot quoque dii Stygii mortalibus addita vulgo
 79 agmina continuo dant terga petuntque malignos
 80 secessas ; veritique tremunt, ceu mille colubri
 81 accipitrumque manus latebris Jovis alite viso
 82 conduntur, capita atra solo depressa reponunt.
 83 Impius hos Erebi de limine miserat Orcus

Le texte donne :
 'per ingentem turbam',
 ce qui fait un hexamètre
 de 18 syllabes :
 correction pour rendre
 le vers scandable.

84 limen ad aethereum et summi delubra parentis
85 accinctos astu vario struerentque novorum
86 ut scelerum causas traherentque in crimina mentes.
87 Hoc ubi compressumque nefas percussaue gentis
88 corda metu Solymae, et magnas exterruit omnium
89 ostentis animos felicis conditor aevi,
90 digreditur majora parans urbemque salutis
91 deserit ignaram, et furiis infanda frementem ;
92 illum mox comites venturi ad sidera fama
93 tunc genti patriae ignoti spretique sequuntur,
94 agmen opum securum operique accincta caterva
95 relligiosa pio dominum mirantur agentem
96 ardua supra hominem, et servant praecepta secuti.
97 Jam longum permensus iter Samaritida sese
98 trans terram recipit, Galilaeaque rura revisit.
99 Mons ingens alto se vertice tollit ad auras,
100 circum tota potest regio procul unde videri.
101 Hic nemora et fontes laetaeque in saltibus herbae,
102 servatumque pecus late pastoribus errat.
103 Hunc petit educens comites ad culmina secum
104 bissenos lucem ut tenebris totique salubres
105 infundat mundo superis de fontibus haustus.
106 Multa suos praecepta docet, quibus aurea quondam
107 ventura in cunctas laetentur saecula gentes.
108 Huc fama adventuque Dei simul excita longe
109 it regio, huc celerant quae montibus oppida late
110 proxima Gelbois ; placidi se plurimus affert
111 accola Jordanis Baetulaque moenia multi,
112 Bessadamque Saphamque Capharnaique relinquunt
113 tecta Deo dilecta, viae numero venientum
114 fervent ingenti et summi juga montis inundant.
115 "Vos primi in terris comites, quos rector Olympi
116 delegit totumque dedit percurrere mundum
117 mortales olim, post funera tristia facti
118 dicite caelicolae, quam saeva pericula rerum,
119 quos morbos pepulit caelestis dextra repente
120 pauca aperite mihi ex illis quae plurima quondam
121 vidistis vitamque Dei moresque secuti."
122 Unus in ascensu primo seclusus ab omni
123 conventu astat homo supremum ascendere montem
124 non potis aut misceri aliis coeuntibus ausus,
125 ille Dei miserandus opem redeuntis ab alto
126 exspectat, papulis elephas cui turpibus ora
127 foedarat multo fusus per viscera tabo,
128 immisso venis vitio penetraverat ima
129 ossa illisa lues, et vi viduaverat artus ;
130 auxiliumque malis medicae non profuit artis,
131 mortaliue salus misero non reddita cura :
132 corruptus toto trahit aegro corpore vitam
133 languidus, urgetur vicini in limine laeti,
134 ipsum ubi per lenes prospexit in agmine calles
135 ire Deo genitum et prono descendere clivo,
136 toto animo totis oculis intentus agit se
137 extenditque manus, et supplex talia poscit :
138 "Christe Deo genite et summo Deus addite patri,
139 purgator scelerum miserum me numine serva.

140 Orbi auferre nefas, caelestem inducere vitam
141 venisti caeli de vertice totque volentem
142 impulit in duros nostri te cura labores."
143 Respicit hunc precibus motus faciemque precantis
144 contingit dextra : radii non solis opaco
145 ocus immissis tecto fugere tenebrae
146 quam propulsa lues tangentis numine dextrae
147 corpore de toto miseri (mirabile dictu)
148 amissi integris revocantur viribus artus.
149 "Nunc age vade, salus (ait) est tibi reddita, laetus
150 fer patrias de more tuum jam munus ad aras."
151 His tantum dictis invisit moenia Christus
152 grata Capharnai, comitum quem lecta caterva,
153 undique quem veniens sequitur manus, et manus ingens
154 exspectat carae redeuntem ad limina sedis.
155 Ecce autem comitante manu de gente Latina
156 unus cum lacrimis perductus numine multo
157 centurio et cari morbo turbatus alumni
158 occurrit, suprema animam qui morte trahebat.
159 Ossa suo resoluta loco et nervis labefacti
160 artus membrorum ; totum sine viribus aegrum
161 corpus erat. Studium medicae non profuit artis
162 mortaliq;ue salus misero non reddita cura.
163 Ergo Deum supplex venientem affarier ille
164 incipit : "O magnarum opifex, precor, optime rerum,
165 da puerum ad vitam revocari a limine leti
166 membrorum labefactum artus : non viribus ullis
167 curandum humanis : tu semper ubique tua vi
168 cuncta potes, totum complexus numine mundum,
169 te liquidae quondam mutatae in Bacchica lymphae
170 dona jubente, tibi patefactum ad flumina caelum
171 Jordanis subitoque salus morientibus alma
172 reddita, cum tristes jussisti excedere morbos.
173 Ergo malum jussu (miseret si supplicis) aufer."
174 Has animo dederat voces, dum mira precantis
175 novit verba fidemque Deus gentisque beatae
176 saecla canens animo turbam compellat ovanti :
177 "Cernitis haec cunctis quae sint exempla salutis
178 praevia venturae, generis quae sint alieni
179 primitiae sanctae ; jam caelo externa propago
180 poscitur et summi regno succedet Olympi
181 surgentis quaecumque domos quaecumque cadentis
182 solis habet Cancrique calet quaecumque sub astro,
183 Riphaeoque gelu et saevis Aquilonibus horret.
184 Tu vero externae o juvenis nova gloria gentis
185 haec tua felici laetus sequor omine dicta."
186 Omnis consurgens terris canet omnibus omni
187 tempore relligio referentque canentque nepotes
188 teque fidemque tuam insignem laetique sequentur,
189 quae genus ingratum Solymorum a sanguine patrum
190 arguet, atque suae pugnancia corda saluti
191 Judaeos, patria eversa qui dira subibunt
192 auxilia. Heu miseri polluti sanguine sancto
193 Cocytique domum aeternae loca tristia noctis.
194 Jam jubeo quod vis tristem discedere morbum,
195 et puero solidis firmari viribus artus."

196 Sic ait. Alma salus caelestia reddita jussu est
 197 ocius et solidis firmantur viribus artus,
 198 ossaque constrictis sese retinentia nervis.
 199 Tum novus hinc tanti fuis rumoribus exit
 200 facti auctor, populosque petit finesque propinquos,
 201 agmine stipatus venientum. Jamque Naymae
 202 moenibus urbis ovans notae portisque subibat,
 203 cum pueri ad portas maestum extra moenia funus
 204 occurrit, leto fuerat qui raptus acerbo
 205 ante diem impubis, viduae spes sola parentis.
 206 Confluit et luctu pompam comitatur inani
 207 turba ingens, longo fulgentibus ordine taedis.
 208 It pullis genitrix in vestibus et rigat ora,
 209 profusisque genas lacrimis percussa miscet
 210 corda dolore, viam tristi complens ululatu :
 211 "Tu spes longaevae matris, tu sola propago,
 212 nate, jaces, miseraeque domus tantum unicus haeres,
 213 servari unde genus nostrum factisque parari
 214 fama ingens poterat florentibus : omnia nobis
 215 una dies extrema tulit curasque reliquit.
 216 Felix, si tecum ferri me funere eodem,
 217 aut longe fas ante mori condique fuisset.
 218 Hos ego non luctus paterer pompamque superstes
 219 ingratham sequerer, tanto turbata dolore.
 220 Hanc mihi mors animam, si qua moveare precando,
 221 tolle cita, atque hujus me sedibus erue vitae,
 222 cui nequit hic nato finiri fletus adempto."
 223 Hanc summi breviter genitoris filius aegram
 224 maternae motus solatur imagine curae :
 225 "Continuo, tantis (inquit) jam parce querelis.
 226 Ne dubita, tu mox laetabere spemque videbis
 227 laeta tuam genitrix." Funus sic pauca locutus
 228 imperat exanimum et lugentum sistere turbam ;
 229 tum dextram feretro extendens jam proximus infit :
 230 "Tu puer accelera, Stygiis ereptus ab umbris,
 231 lumen ad aethereum, jubeo ; vitamque resurgens
 232 accipe. Qua subito tellus tremit excita voce,
 233 Infernaeque tremunt sedes horrentque repente
 234 turbati manes ; anima ex Acheronte profundo
 235 exit et insinuat gelidis se reddita membris.
 236 Extemplo ecce puer capulo se vivus aperto
 237 extollit tenditque manus cum vocibus ambas
 238 inceditque celer, grates vitaeque datori
 239 pronus agit, carae oblatus dat gaudia matri.
 240 Rerum omnes novitate pavent factumque volutant
 241 attonitis insuetum animis : "Jam denique ab alto
 242 numen adest nostroque salus jam panditur orbi
 243 promissa." Idem ingens crebrescit in agmine clamor.
 244 Illum iterum comitum aspectans stupet omnis euntem
 245 effantemque manus ; sic uni proximus alter
 246 fatur, sic aliis alii : "Quam magna potestas ?
 247 Quam novus in terris opifex ? Quibus ardua jussis
 248 facta potest ? Deus iste Deus qui talia fecit.
 249 Ingeminant posita ferali gaudia pompa,
 250 lugentumque silent extinctis agmina taedis,
 251 funebresque tubae. Genitrix laetissima natum

252 excipit amplexa atque Deum venerata recedit
 253 urbem intra notosque petit cum prole penates.
 254 Inde urbes varias, varios notissimus agros,
 255 agmen agens comitum jam numine Christus aperto
 256 perlustrat, juxtaque lacus magnique fluenta
 257 Jordanis, populi variis huc urbibus illum
 258 visuri, Solymique patres mixtique Trachones
 259 conveniunt, terraeque genus Samaritidis omne,
 260 atque Arabes Syriique et Sidonii numerosi.
 261 Remigiis pelagum patet aptum in finibus illis,
 262 litoribusque frequens cultis, quod flumine sancto
 263 procreat aeternisque fovet pater inclytus undis
 264 Jordanis rursusque excedit ab aequore major.
 265 Huc rerum ingenti rector se maximus affert
 266 undique cum numero venientum ipsoque suorum
 267 conventu portusque subit delatus in altos.
 268 Excipit ille suos secum turbamque relinquit
 269 litore conscenditque ratem trans aequor iturus,
 270 devehiturque freto. Multae quoque fluctibus altis
 271 forte aliae juxta naves passimque feruntur,
 272 ipse locum vacua in puppi fessusque quietem
 273 accipit. Assistit vigilans vis provida juxta.
 274 Et jam stelliferum fessis sol pronus abibat
 275 caelum emensus equis, montesque tegentibus umbris
 276 condere candentem vultum lucemque parabat.
 277 Atrae hiemes subito (sinit haec deus omnia quando,
 278 magna parans) ventique fremunt, et nubibus auras
 279 involvunt magnoque fretum certamine miscent,
 280 infesti Caurique rates Eurique per undas
 281 dispergit turbo, et saevis ruit imbribus Auster,
 282 cum tonitru horrifico fractae dant fulgura nubes,
 283 turbati cumulos verrunt maris impete magno,
 284 usque agitant totum sedes penetrantque sub imas,
 285 irruit ingenti Boreas vada gurgite in imo
 286 murmure permiscens. Hic monti tollitur unda
 287 aemula, ferventique cadens impellitur aestu
 288 in navem, rerum ductor qua maximus ibat,
 289 accipiens somnum fessus, latet obruta vastis
 290 fluctibus illa mari magno atque involvitur undis,
 291 impleturque super ; vigilans vis provida puppim
 292 sustentat custos pereuntem arcetque periclis.
 293 Deficiunt animi comitum discrimina tanto,
 294 turbatique metu, dominum clamore fatigant :
 295 "Nunc age, nunc vigila, et praesens pereuntibus ipse,
 296 Christe, tuis succurre, Notos compesce furentes,
 297 turbatumque fretum, si quid potes aequore tantum."
 298 Arguit hos letum veritos : "Quis, me duce, turbat
 299 vos novus iste timor ? Nostrae quos fidere dextrae
 300 vis docuit novitasque operum spectanda meorum."
 301 Aethera sic fatus turbatumque aspicit aequor
 302 Regnator, dictoque potens sic comprimit Austros :
 303 "Parcite jam venti (jubeo), discedite nimbi :
 304 do caelo et pelago pacem." Quibus omnia jussis
 305 compressa, ac subito sine vi, sine murmure venti
 306 compressi et tumidi saevus cadit aequoris omnis
 307 impetus, et pulsus clarescit nubibus aether.

308 Tum vero stupefacti animi : stupor incidit ingens
309 corda movens, servati implet clamoribus auras :
310 "Est Deus iste Deus, qui jussu comprimit Austros
311 iratos, tanto qui mitigat aequora nutu."
312 His subito attonitus rebus pater aequoris hujus
313 haeret Jordanis summisque incedit in undis,
314 factum non parvum aspectans et jussa volutat
315 ardua, dii centum comites ex omnibus undis
316 collecti, centumque deae coguntur in unum
317 motae animum, natis tanti non inscia facti
318 Callirhoe ingentique choro comitata sororum
319 Cymodoce famulasque vocat progressa Ligea,
320 Ipse tegens humeros circum velamine glauco,
321 immotis stat aquis sedataque aetheris aura,
322 "Unde mari caeloque quies, ait, unde potestas,
323 cui venti et saevae norunt parere procellae ?
324 Hoc tantum potuit nemo nec vidimus umquam
325 hoc nunc ipsius, qui dirigit omnia, factum est,
326 ipsius hae vires : hominem Deus induit ipse,
327 humanoque latet, facturus grandia quondam,
328 corpore venturique decus praenuntiat aevi,
329 prodigiis operumque novo manifestus honore,
330 fluctibus in nostris potuit qui saepe videri
331 magna gerens, iterum ecce potest iterumque videri,
332 numine cum valido dilecti in fluminis undis."
333 Haec effatus aquis praeceps allabitur imis.
334 Inde suos remo celeri fluctuque secundo,
335 gentis ad extremae litus portusque propinquos
336 fertur, agens salvos comites trans aequora Christus.
337 Tunc deserta metu et monstris agitata duorum
338 illa virum tellus, Stygiis quos millia multa
339 Orcicolum miseros umbris emissa tenebant
340 torquebantque nova rabie, furiisque nefandam
341 in caedem stimulisque urgent immanibus irae,
342 primum illi ferroque pedes palmasque revincti,
343 molibus includi tectorum et vectibus aereis.
344 Olli continuo pulsati tot pestibus ambo,
345 vinculaque et duros ceu fulmina frangere postes,
346 et procul invisis urbis discedere tectis.
347 Jamque agrislatae et silvis et montibus una
348 cum vasto miseri errantes clamore feruntur,
349 quo tonat immensum caelum concussaque longe
350 pertrepidant rura ; implentur terroribus urbes,
351 ipsi se manibus foedant rabidi, et sua saxa
352 corpora concutiunt ; fuerint qui forte reperti,
353 semineces plagis linquunt aliosque trucidant
354 aggressique ruunt Lernaean horrentius hydra,
355 sive Calydonio longe violentius apro,
356 crudelique magis Cyclope Lamoque timendi.
357 In tumulis super ossa quies viduataque vita
358 corpora, congesto quae pulvere tecta jacebant.
359 Postquam instare Deum pestes sensere nefandae
360 horrescunt, ut forte lupi vel retibus artis,
361 vel fovea ut multo in tenebris custode latrones
362 deprensos, utque suos viso stupere leone.
363 Sic trepidant venisse rati miserabile tempus,

364 praecipites debent quo caeca in Tartara trudi.
365 Ergo viri nudati ambo cogentibus alto
366 e tumulo furiis adsunt pacemque precati
367 suppliciter tali ante Deum cum voce feruntur, :
368 "Christe Deo genite et summo Deus addite patri,
369 purgator scelerum, nunc per tua perque parentis
370 numina, ne diras Erebi nos pelle sub umbras,
371 poenarum ad sedem oramus : tibi vera fateri
372 est licitum, qui non falli potes, omnia quando
373 novisti : Legio afflictis sumus una duobus
374 corporibus, trusit fastus quos culpa superbi
375 de caelo Stygiique ducis mandata suprema
376 exsequimur, consueti intendere crimina. Si nos
377 cogimur hinc exire, suum sine corpora saltem
378 indugredi. Ipse viros miserans rex aetheris aequus
379 aspectat dirisque dolet tot pestibus ambos
380 vexari ambobusque parat succurrere fessis."
381 Ergo foras urgens acies Erebi ex alieno
382 imperat ire loco pressas sine vi, sine turba,
383 conceditque suum quaesitam invadere sedem.
384 Saltibus in latis aderant fortasse palustri
385 assueti caeno vicinaque litora circum
386 errabant bis mille sues, quos plurimus olim
387 urbibus e multis eduxerat agmine custos
388 agrestem in pastum et laetis servabat in arvis.
389 Ecce virum cessat rabies abeuntque repente
390 corpore de toto plagae sensuque quieto
391 continuo mentemque malis animumque solutus,
392 noscit verque Deum et genibus submissus adorat.
393 Sed furiis actus volat ingens cum fremitu grex
394 porcorum horrifico fluctusque sub aequoris imos
395 Tartareae duro pelluntur ab agmine gentis.
396 Terrificant gemitus, et vastarum horrida vocum
397 murmura ; jam totum ferventi extollitur aestu
398 aequor et assurgens miscetur gurgite in imo.
399 Acta ruunt non tam violenter fulmina, non tam
400 grandine saevit hiems, graviter turbantibus austris,
401 commotoque solo non tam tonat excitus aether.
402 Jamque sues imis in fluctibus acrius omnes
403 torquentur rabie (haec mala stat deus omnia contra)
404 exitioque cadunt uno sine more necati.
405 Praecipue hoc monstro et rerum novitate subulci
406 percussi stupuere ; novam clamore queruntur
407 jacturam gregis amissi : duo millia lugent
408 mersa suum finesque petunt urbesque propinquas,
409 Scythopolimque Adramque et clarae moenia Pellae,
410 mirantemque novis implent terroribus Hippum,
411 Gadareumque larem et Dion Gerasamque frequentem.
412 Nec mora, concursus late, multi urbibus una
413 egressi populi et maesti coguntur agrestes.
414 Vel nebulae ingentis, vel fusi fluminis agris,
415 undique more ruunt vicini ad litus euntes.
416 Huc ubi collecto variae simul agmine gentes
417 convenere, Deique jubar flagrantis et ambos
418 mites, atque animum furiis videre solutos
419 coram astare viros, pro munere vota ferentes

420 horrent attoniti, nec apertos de grege questus
 421 jactare amisso quisquam nec quaerere causas
 422 audet ; verum animis cuncti trepidantibus haerent
 423 supplicibusque illa dictis regione precantur
 424 Christum exire omnes geminant fletusque precesque.
 425 Ergo metu captos fragili maestosque relinquit,
 426 digrediturque volens. Sic illum talibus orat
 427 unus vi Stygia dudum furiisque solutus :
 428 "Infernae domitor gentis demissus ab alto,
 429 cujus opem mundus manifestam et numina sentit,
 430 accipe me, fuerint quaecumque aversa subibo,
 431 tecum nil metuens, tecum sors nulla laborum
 432 dura mihi gressusque tuos et jussa sequenti."
 433 Cui breviter Christus : "Gratum hoc mihi perfice tantum,
 434 tu patriae varios fines urbesque revise,
 435 dic hominum esse Deum memorem tantamque tulisse
 436 hanc misero tibi opem et manes pepulisse nefandos :
 437 fas animo poscant cuncti sperentque salutem."
 438 Dixit, conscenditque ratem fluctuque secundo
 439 trans pontum vehitur Galilaea ad moenia rursus,
 440 atque Capharnai dilectam accedit ad urbem.
 441 Jamque domum ingressus notam, simul agmine secum
 442 venerat assumpto comitum, cum plurima lecti
 443 undique turba fluit populi legumque periti,
 444 qualia sint Christi praecepta audire volentes,
 445 adsunt ; pars totis cupide glomerantur ab agris,
 446 exciti fama : implentur tota atria late.
 447 Obstruit omnem aditum numerus, pars maxima, quae non
 448 admitti poterat, plenas circumfluit aedes.
 449 Stans medio in coetu felicis conditor aevi
 450 elucet vitaeque docet venientis honorem,
 451 promissosque dies, surget quibus aurea quondam
 452 libertas, Stygiaeque cadent regna impia gentis.
 453 Ecce viri lecto submissi quattuor unum
 454 forte ferunt, suprema animam qui morte trahebat ;
 455 ossa suo resoluta loco et nervis labefacti
 456 artus membrorum, totum sine viribus aegrum
 457 corpus erat : studium medicae non profuit artis,
 458 mortalique salus misero non reddita cura.
 459 Vestigant aditum socii, quo ferre jacentem
 460 tectum intravaleant Christoque offerre potenti
 461 curandum ; huc variis atque illuc gressibus errant.
 462 Ergo ubi non patuit via, scandunt ardua onusti
 463 culmina denudantque domos in vertice summo,
 464 rimantes aditum lectumque virumque retorto
 465 fune per ingentem tecti sublimis hiatum
 466 demittunt Christi ante pedes. Mox optimus aegrum
 467 purgator scelerum aspiciens : "Age concipe mentem
 468 fidam, inquit, finemque mali jam laetus habebis.
 469 Ecce salus tibi prima, tuis datur omnis ad unum
 470 libera commissis venia." Haec ubi pauca locutus,
 471 stat tacitis animis vulgus legumque periti
 472 corde fremunt secum, sceleratam unius ab ore
 473 emissam vocem : "Deus est qui talia possit,
 474 et dare commissis veniam." Sic pectore in imo.
 475 Ipse autem, motus animi qui novit opertos,

476 non sinit hos longo patiens errore teneri,
 477 sic contra : "Quid mente nefas agitatis iniqua ?
 478 Nostrum opere in sancto liceat dum pandere numen
 479 ignari, et miseris pietas succurrere poscat.
 480 Quin morbi causam possum, scelera omnia, verbo,
 481 si dirum verbo possum nunc tollere morbum ?
 482 Ne vos errantes patiar nescire salutem,
 483 signa dabo mortalis ego sata virgine proles :
 484 ipse aegro feram opem et vires in pristina reddam.
 485 Nunc age, surge novis cum viribus, accipe lectum
 486 incolumis notaeque domus ad limina defer."
 487 Sic ait, alma salus caelesti reddita jussu est
 488 ocius, et solidis firmantur viribus artus
 489 ossaque constrictis sese retinentia nervis.
 490 Mox jussus lectum rapit imponitque potenti
 491 raptum humero notaeque domus ad limina defert.
 492 Ingens continua strepitus sublatus ad auras.
 493 Illum surgentem cuncti luctumque ferentem
 494 mirati et clamore novo sub tecta secuti,
 495 ponentem mirantur onus : "Quam magna potestas ?
 496 Quam novus in terris opifex ? Quibus ardua jussis
 497 facta potest ? Deus iste, Deus qui talia fecit."
 498 Ecce pater carae turbatus funere natae,
 499 concilii primus patrii, cui nomen Iaro,
 500 multo aderat supplex spectantis in agmine turbae
 501 cum gemitu precibusque, manum submissus utramque
 502 tendebat Christi ante pedes, genibus deflexis :
 503 "Christe dator vitae, oro per tua perque parentis
 504 numina, perque tuae sanctum pietatis amorem,
 505 quae nota his terris, tanto me solve dolore :
 506 nata meae spes sola domus fuit unica nobis
 507 progenies, fessae requies segura senectae,
 508 Haec dudum, exacti cui jam ter quattuor anni,
 509 occidit, eripiens secum mea gaudia, et atrum
 510 luctum amissa patri misero curasque reliquit.
 511 Tu tristes invise domos animamque reverti
 512 da natae in corpus. Tactu potes omnia dextrae,
 513 si jubeas : operum monstrat nova gloria, quae sit
 514 ista tibi virtus." Vocem, lacrimasque fluentes
 515 respicit, et maestas lucis dux magnus ad aedes
 516 procedit, sancti comites turbaeque sequuntur
 517 diffusae triviis late, gradientibus obstant
 518 una aliis compressi alii ; cupiuntque propinqui
 519 ire decusque juvat divini cernere vultus.
 520 Dum laxis venis et sanguine pallida fuso,
 521 femina contendit numero compressa sequentum
 522 rumpere anhela viam, et totis obnixa movet se
 523 effetis succo membris. Namque illa salubri
 524 sanari tactu sancti sperabat amictus.
 525 Spes dabat exsanguis vires concepta salutis.
 526 Astitit ut juxta, nixu defessa supremo
 527 extendit dextram et tacto non inscia limbo,
 528 vim subita infundi membris, venasque patentis
 529 constringi, et totum firmari robore corpus
 530 praesentit crescitque rubor diffusus in ora.
 531 Fertur opis dono divinae occulta retrorsum,

532 et fugit incolumis furtim numeroque sequentum
 533 miscetur, rata praeclaram latuisse Deum rem.
 534 Sed primum ipse sui tactum cognovit amictus
 535 praescius, occultamque fugam donumque salutis.
 536 Ergo iterumque iterumque petit clamore latentem,
 537 et deprecatur opis divinae dona fateri,
 538 urgens in medio coram factumque referri.
 539 Illa timet quaesita, velut si rusticus abdit
 540 inventam gemmam et quaerenti saepe recusat
 541 reddere suspensus domino ; durumque veretur
 542 jus ne adeat furtique reus praesentis agatur.
 543 Continuo mulier supplex : "Nihil, inquit, opertum
 544 est tibi : jam venio, tua quam clementia servat.
 545 Vera equidem dicam, nosti prius omnia namque :
 546 urbis sum Phaniae civis Phoenissa, penates
 547 relinquere pauperie patrios morboque coacta,
 548 rerum olim dives, dum me Deus esse volebat
 549 incolumem, praesensque mihi fortuna favebat.
 550 Sed morbi me dira lues invasit acerbi,
 551 vi dura venisque cruor diffusus hiulcis
 552 effluxit totosque malum ter quattuor annos
 553 perstitit, infirmo decerpens corpore vires
 554 exsanguisque premens artus ; non sumptibus ullis
 555 undique opem quaerens aliquam curaeque peperci.
 556 Non labor, auxilium medicae non profuit artis,
 557 mortali salus miserae non reddita cura,
 558 processusque mali consumpta restitit omni
 559 re patria : haeserunt sola incrementa dolorum.
 560 Ipsa ergo huc, operum rumore impulsa tuorum,
 561 te petii duxique tuo me numine solo
 562 curandam ; sed cum turba stipante nequivi
 563 poscere opem tetigique tuam non inscia vestem,
 564 me tua fidentem servavit maxima virtus,
 565 spe meliore mea et tactu non vestis inani."
 566 Sic ubi laeta suae donum confessa salutis,
 567 continuo sic Christus : "Habes quod pectore fido
 568 optasti. Non spem posuisti in numine frustra,
 569 mortali deserta manu, cessare dolores,
 570 morborumque lues, patriam gavisam require
 571 incolumis." Sic fatus erat, cum femina grates
 572 fida Deo discessit agens patriamque requirit.
 573 Inde propinquorum donis adjuta faventum,
 574 extulit aere Dei simulacrum, haud muneris illa
 575 immemor extremaeque domus in parte locavit,
 576 imbrice sub modico ; aeternum partaeque salutis
 577 et facti insignis monumentum, adjunxit athenam
 578 aere sui statuam deflexo poplite juxta,
 579 protentaque manu, sanctos quae tangit amictus.
 580 Imis a pedibus tantum se sustulit herba,
 581 tangeret ut limbum ; pellebant pocula morbos,
 582 (mirandum dictu) quibus haec madefacta fuisset.
 583 Impius haec lapsis Caesar simulacra tot annis
 584 qui Christi a cultu defecerat, abstulit olim,
 585 intrusitque sui statuam, quae fulmine fracta
 586 concidit ; atque illum in Parthos prostravit euntem
 587 audentemque nefas caelo demissa sagitta.

588 Jam gemitus duri in tectis maerentis Iari
 589 crebrescunt, et feralis nova munera pompae.
 590 Plurimus ante fores pullis in vestibus ordo
 591 lugentum implenturque tubae clangore penates
 592 funerei accensis facibus : stat virginis intus
 593 impositum capulo corpus ferrique paratum,
 594 tristem integranti multo tibicine cantum.
 595 Jam bonus ad celsas vitae dator affuit aedes,
 596 agmen agens comitum et lectam simul undique turbam.
 597 Atque in vestibulo, lugens ubi copia major
 598 exspectat, rapidaeque sonant plangoribus aurae,
 599 astitit intendens oculos motusque parentum
 600 fletibus, et maestis offensus cantibus, inquit :
 601 "Quae gemitus tanti, quae maesti funeris hujus
 602 causa est ? Quid strepitus ignari agitatis inanes ?
 603 Lumina visuram solis vescique paratam
 604 terrestri fetu requies tenet alta puellam.
 605 Parcite jam lacrimis et spem retinete, parentes.
 606 Ite domum laeti : surgentem agnoscite natam."
 607 Imperat, haec fatus, cunctos excedere tecto.
 608 Divinae ignari lucis summaeque latentis
 609 virtutis, quaesiti homines ad ludicra, multo
 610 vulgus inane, alii fletum simulare vocati,
 611 risu omnes strepuere : illam, quam viderat omnis
 612 lugentum expertem vitae collecta caterva,
 613 posse Deum nescire rati, qui protinus infert
 614 altas intra aedes sese fidosque suorum
 615 secum aliquos comitum inducit, maestosque parentes.
 616 Continuo foribus clausis sedet aetheris ipse
 617 rector ad exanimum conversus lumina corpus.
 618 Tum gelidae dextram contingens virginis, inquit :
 619 "Nunc age, nunc Stygiis, virgo, te sedibus effer
 620 lumen ad aethereum, jubeo, vitamque resurgens
 621 accipe." Qua subito tellus tremit excita voce,
 622 Infernaeque tremunt sedes horrentque repente
 623 turbati manes : anima ex Acheronte profundo
 624 exit et insinuat gelidis se reddita membris.
 625 Ecce velut somno expleto revocata puella
 626 consurgit, tenditque manus cum vocibus ambas,
 627 inceditque levis grates vitaeque datori
 628 astat agens stupuitque parens spectator uterque.
 629 Tanto produci revocatae tempora vitae
 630 tres jussu attonitae, repetunt deposta sorores
 631 pensa manu, et jussae pergunt deducere fila.
 632 "Natae, afferte dapes, vesci jam munere terrae
 633 exoptat (Christus dicit) celerate parentes."
 634 Jam depasta dapes, foribus prodibat apertis
 635 spectantum in turbam ante domum laetissima virgo.
 636 Dum subito visu, signis dum talibus amens
 637 vulgus inhorrescit : cunctis stupor intima turbat
 638 corda novus, dubii ne animos insomnia ludant,
 639 an visa ignari fallantur imagine rerum.
 640 Vix tandem rediere animi, et vis reddita menti est :
 641 ipsum opus hoc mirum agnoscunt ipsumque potentis
 642 virtutem auctoris et vitae dona receptae.
 643 Multa illam effatam et mediis mirantur euntem

644 incessu celeri laetam morboque carentem,
645 laudibus ornantes certatim insignia facta.
646 Compresso strepitu cessat tuba cantus et omnis
647 lugubris : versi extinctis in gaudia luctus
648 ignibus, et plausu vitae dator aequus ovanti
649 cantatur. Gemini ecce viri per plurima vulgi
650 agmina, forte via in media caris viduati
651 luminibus, vitae exspectant lucisque datorem.
652 Multum inopem et cunctis notum perducit utrumque
653 unus homo, imploratque stipem pia munera gentis,
654 ipsum ubi cum multo strepitu turbaque sequentum
655 praesensere viri venientem, ita fantur ab imo
656 orantes animo maestis cum fletibus ambo :
657 "Jessaei generis proles, si numine tanto,
658 Christe, potes, sentitque genus tua munera nostrum,
659 tecti oculos tenebris tristem sine lumine vitam
660 protrahimus, specta nostros auferque labores,
661 excutiens oculis noctem, da lumina solis
662 astriferumque polum terrasque videre patentem.
663 Olli cum precibus sub tecta sequuntur euntem.
664 Affuit ingressus notis ut sedibus ipse,
665 agnovitque fidem et fidis conceptam animis spem,
666 proximus inspexit veniens, tetigitque duorum
667 expertus oculos lucis. Tum fronte sub ipsa
668 intumescere sinus tactu, clarumque repente
669 prospexere diem, ex acie cessere tenebrae.
670 Est ubi ceu tegmen, quod condidit ora, remotum.
671 Rerum ambo egressi formas mirantur, et altum
672 aethera stelliferique decus mirantur Olympi,
673 omniaque ardenti lustrantem lampade solem.
674 Turba incredibili facto stupet excita tali.
675 Continuo medios inter cum murmure multo,
676 pluribus a fidis trahitur maerentibus unus
677 aere manus evinctus homo et vexatus atroce
678 unius Orcicolae rabie, usu vocis adempto
679 infelix, agitans saniem taetro oris hiatu,
680 torvum oculis versis, dictu miserabilis error.
681 Ante Deum ut medio coram stetit aspera Erinnys,
682 expavet, et subito divinae exterrita sentit
683 contactum dextrae validum : quo pulsa repente
684 effugit sine vi miseri de corpore toto
685 horribilique fremat questu, et per nubila multo
686 cum stridore volat sedes Acherontis ad imas.
687 Ille Dei ante pedes, rabies ubi dira recessit,
688 incolumis stat agens grates vocemque soluta
689 ingeminat rumpens diuturna silentia lingua.
690 Tum vero stupefacti omnes, novus agmine toto
691 exortus clamor. Non talem prisca tulerunt
692 saecula : mortali non est a sanguine solo,
693 caelesti non stirpe caret qui talia possit.
694 Illis deinde novus rumor diffunditur oris,
695 astu femineo et jussu cecidisse tyranni,
696 damnantem crimenque tori culpamque jugalem
697 Zachariae natum, quo vatum non fuit ullus
698 major et humano melior de sanguine nullus,
699 Virginis excepta et supremi prole parentis.

700 Judaeique deum deposcunt caedis iniquae
 701 ultorem regnique jugum exsecrantur acerbi
 702 plurima maerentes, et regno opibusque tyrannum
 703 extimuisse rati, regio dum protinus omnis
 704 dilectum vatem multo servaret honore.
 705 Ergo viri casum numero miseratus ab omni,
 706 educit comites Christus, breviter quibus ipse
 707 intentis fatur : "Suadet nos sanguine sancto
 708 linquere pollutam, o comites, res impia gentem.
 709 Cedereque unius furiis grassantis et irae ;
 710 dum pater ipse diesque volubilis omnia mundo
 711 magna parat, sceleri et pretium scelerisque ruinam,
 712 expediamus iter terraeque inculta petamus."
 713 Sic ait, ingratisque dolens discedit ab oris.
 714 Non procul a pelago celsus, quod flumine sancto
 715 procreat aeternisque fovet pater inclytus undis
 716 Jordanis rursusque excedit ab aequore major,
 717 tollitur in nubes mons late incultus et horret,
 718 passim infecundis complentibus omnia silvis
 719 avia, desertique jacent saltus sine tecto,
 720 campus et in summo silvestribus horridus herbis.
 721 Huc summi in saltus genitoris filius altos
 722 supremumque jugum ascendit, simul agmine secum
 723 assumpto comitum, montisque inculta requirit
 724 horrentes inter silvas atque aspera lustra ;
 725 multa suos praecepta docet, quibus aurea quondam
 726 ventura in cunctas laetantur saecula gentes.
 727 Haud mora, fama volat vicina per oppida late,
 728 finitimumque solum, deserti ad culmina montis
 729 concessisse Deum et silvas habitare relictas.
 730 Urbibus e variis collecti agrisque propinquis
 731 matres et pueri et castae venere puellae,
 732 atque viri, et fessis juvenes senibus commixti.
 733 Quot volucres lectae et pecudes nova pascua missae
 734 vere petunt medio, dum clarum abeunte reducit
 735 nocte diem radiis, reserans caelum nitidus sol.
 736 Et jam collectos inter bonus eminent omnes
 737 dux hominum et custos certus, flagrantia late
 738 ora gerens, placidumque oculis spectantibus ardet,
 739 atque hominem non voce refert, insignis honesto
 740 supra hominem gestu ; et vitae spem mentibus infert
 741 aeternae monituque fovet pia corda salubri.
 742 Qualis oves passim in pratis prope flumina Rheni,
 743 Tibridis aut ripis, aut saltibus Appennini,
 744 colligit errantes, et pabula laeta ministrat
 745 omnibus upilio medicaque manu levat aegras.
 746 Ipsam etiam poscunt multi, accipiuntque salutem
 747 caelestis tactu dextrae, quocumque fuissent
 748 correpti morbo. Oceani jam proximus undis
 749 Carmelique jugo, tepidis sol ignibus ibat.
 750 Ingentem turbam victu dum stare carentem
 751 dilecti comites deserta in sede queruntur.
 752 Quos inter Christo fatur non multa Philippus :
 753 "Christe genus caeli, jam nox obscura propinquat,
 754 ecce vides hominum tot millia montibus altis
 755 desertoque loco nobiscum ; alimenta secum

756 nulla ferunt : subito dic omnes hospita tecta
 757 finitimasque domos quaerant urbesque propinquas."
 758 Dixerat ille. Animo volvens opera ardua Christus
 759 dicere quantum epularum habeant, non inscius, illos
 760 jussit. Cui cupide Andreas : "Geminos habet unus
 761 hoc nostro e numero pisces cererisque paratae
 762 quinque puer massas, aliis nihil omnibus, inquit.
 763 Non modicam Cererem, non pauca opsonia credo
 764 sufficere ingenti turbae. Sunt milia namque
 765 quina virum, tot praeterea pueri atque puellae,
 766 tot matres numero incerto, lectum undique vulgus."
 767 Ad se continuo modicam cum piscibus ipse
 768 afferri Cererem et cunctos per multa locari
 769 gramina, et in viridi jussit considerare terra.
 770 Inde dapes ubi utraque manu non omnibus aequas
 771 accepit, summum elatis conversus Olympum
 772 late oculis penetrat. Moles quo maxima mundi
 773 aspectu nutat, totus commotus et aether,
 774 concutitur tellus, imo maria excita fundo.
 775 Imperat, et parent caelestibus omnia jussis ;
 776 effringitque dapes, faciens non cognita miris
 777 incrementa modis, subito jussique ministri
 778 adsunt et plenis capiunt portantque canistris
 779 mirati, atque epulis mensas superantibus implent.
 780 Vescuntur largis epulis per gramina longo
 781 ordine diffusi. Augeri sua dona repente
 782 obstupet alma Ceres, et motae in flumine nymphae
 783 Jordanisque pater ; spectantque a vertice Fauni,
 784 Orcicolaque tremunt caeli per nubila centum.
 785 Jamque fame pulsa et cunctis surgentibus, escam
 786 tollunt, et multi piscis multaeque ministri
 787 fragmentis Cereris calathos ter quattuor implent.
 788 Tum mentes stupor unus habet tantique subortus
 789 ex novitate operis diffunditur agmine sermo.
 790 Huic senior Chusas, febrem cui Christus acerbam
 791 sustulerat, Chusae illius de stirpe vetusta,
 792 qui fuerat natum meditantem fata moratus
 793 Jessaei patris Solymam speculator ad urbem
 794 praemissus, magnoque nefas compresserat astu.
 795 Is generosus avis, sed inops, non cognitus illo
 796 tempore, sic turbam incedit clamore per omnem :
 797 "Promissam longo quam nos speravimus aevo
 798 monstrat adesse diem saeculi res maxima nostri.
 799 Quis facti similis priscis e patribus auctor ?
 800 Non qui Arabum per lustra suos, licet aethere toto
 801 esca ingens plueret, Nili deduxit ab oris.
 802 Non qui oleum augeri viduae multisque parari
 803 praecepit modico farre atque agrestibus herbis
 804 dulce epulum, atque viros expleri munere centum
 805 exiguae Cereris. Mihi credite, maximus iste est
 806 promissus nobis, uno qui foedere junget
 807 omnia, qua Tethys totum circumfluit orbem."
 808 Ergo magis stupefacti haerent, unde illa potestas,
 809 quae tanta e parvo dedit incrementa repente
 810 ingentique novum clamant cum numine regem
 811 aethere demissum, totus cui serviet orbis.

812 Uno omnes animo solis se lumine primo
813 affore constituunt, solis ut montibus ipsum
814 deducant dominumque sibi regemque facessant.
815 Stulti qui caeli regem de more putarent
816 sumere casurum regni quem mundus honorem
817 ambitioque parat. Rerum non inscius ipse
818 advocat electos comites, jubet aequora tranent.
819 Transvecti notae exspectent in litore gentes,
820 promittitque sequens turba transire relicta.
821 Nec mora, dimissis silvam petit omnibus unus,
822 occultus montisque jugo latet abditus alto,
823 affaturque vocans votis precibusque parentem
824 supremum, et generi se devovet hostia nostro.
825 Ingenti jam nox terras velaverat umbra
826 purpureoque rubens vultu inter nubila Vesper
827 lucebat cornuque cadens nova luna retuso.
828 Dum pressa innumero luctantibus agmine remis,
829 dilectos comites vasto vehit aequore cymba.
830 Ecce novo Cauri de partibus horrida motu
831 saevit hiems, densis conduntur sidera nimbis
832 surgentesque ruunt venti pontoque feruntur
833 undique congressi, et moto freta turgida fundo
834 permiscent summoque cient certamine fluctus
835 ad caelum elatos, ferventibus horret aquis nox,
836 turbatque fragor caeli fulgoribus ingens
837 miscetur. Christi comites in fluctibus altis
838 turbantur, tanti exsanguis formidine casus.
839 Tum Petrus demisso animo discrimine tanto,
840 sublataque manu ad caelum conclamat utraque :
841 "Christe deo generate, tuos miserabile dudum
842 misisti ad letum, et pereuntes deseris alto.
843 Huc sine te stulti quid nocte accessimus atra ?
844 Posses, ut praesens quondam, sedare procellas,
845 iratumque fretum. Fatis instantibus omnes,
846 heu, miseri rapimur dirisque immergimur undis.
847 Huc ades, et serva has animas, si rector Olympi
848 te genuit patriisque sinit te viribus uti."
849 Pellitur haec fanti in navis latus impete fluctus
850 ingens et Boreae propulsus turbine remos
851 frangit et evulso deturbat lintea clavo.
852 Ni pater omnipotens dextra fecisset inanem
853 vim tantam et tumidis navem tenuisset in undis,
854 hora omnes extrema viros rapuisset, et alto
855 jactassent venti laceratae fragmina puppis.
856 Huc atque huc rapidus turbo fert fluctibus illam ;
857 nunc Euro Zephyrus ferri, nunc turbidus Austro
858 dat Boreas, omnes uno nunc agmine turbant.
859 Ut medio autumno paleae per rura manipulum
860 frondiferumque ferunt ramum, sic gurgite in alto
861 noctem illam ventis agitur concussa carina,
862 pondereque acceptae multo mersatur aquai.
863 Ecce sub auroram Christus, Cypriique sub ortus
864 sideris, undosum tenebris pallentibus ibat
865 per mare, per tumidas ventis certantibus undas.
866 (Res mira est) summo ponens vestigia fluctu,
867 nec plantas mergebat aquis. Ceu litore sicco,

868 progressus pelago cursum celerabat in alto
 869 ad comites, laevaue Noti se parte ferebat.
 870 Percussi stupuere metu, quatit omnibus horror
 871 corda novus, monstrisque tremunt ingentibus omnes
 872 pertrepidi rerum facies ne ludat inanis,
 873 obsint emissa Stygio ne limine larvae.
 874 Continuo fertur miserorum infusa per aures
 875 vox domini nota et nocturnis insonat umbris :
 876 "Omnem auferte metum, vestri non immemor adsum,
 877 ferre paratus opem : venio de monte supremo,
 878 jejunis ubi dudum epulas tot millibus auxi.
 879 Vos unde huc misi. Dubiis nunc casibus omnes
 880 eripiam et sicco tutos in litore sistam."
 881 Agnoscunt dominum comites divinaque verba,
 882 praesentemque Deum revocatis mentibus omnes
 883 mirati exsultant : "Si tu quem novimus (inquit
 884 Petrus), quem sequimur laeti, spem ponimus in quo,
 885 rector ades, cymba fac me prodire relicta
 886 ad te per fluctus." Poscenti talia Christus
 887 annuit : Ille ratem linquens super aequora velox
 888 incedit, tumidis plantas nec mergit in undis.
 889 Tum cursum accelerat, domino dum proximus esset
 890 ponto assurgenti ventisque furentibus amens
 891 protinus expavit fecitque pericula terror ;
 892 mergitur, accurrit custos tutissimus orbis,
 893 et laterum tenuis immersum et clamore petentem
 894 auxilia ingenti mergentibus eripit undis,
 895 incusatque virum : "Estne tibi haec fiducia nostri ?
 896 Dum jubeo, liceatne meis diffidere dictis ?"
 897 Dicit, et hunc dextra tollens super aequora, rursum
 898 progreditur comitemque rati secum ocuis infert,
 899 imbriferamque premens hiemem, ventosque furentes,
 900 qat placidam pelago pacem caeloque repente.
 901 Jussu evecta dei fertur non tarda carina,
 902 implentur non vela Noto, non verberat undas
 903 palmula. Tum subito servati ad tuta feruntur
 904 litora et in portu placido conduntur ovantes ;
 905 egressique ferunt animo nova supplice vota,
 906 supremique genus sanctum genitoris adorant.
 907 His stupefacta novis sedes se rebus ad imas
 908 inscia Nereidum cogit manus, unde potestas
 909 cui maria et saevae norunt parere procellae.
 910 Jordanis primum miratur qualia numquam
 911 viderat ante pater, pelagoque incedit aperto,
 912 facta videns ; mox et velox se tollit in altum
 913 aethera et Oceani ad litus gentemque perustam
 914 evolat Aethiopum passis Cyllenius alis.
 915 Illo ubi forte die accumbunt dii cum Jove centum,
 916 dii superi Aethiopum ad mensas epulasque vocati,
 917 dulciaque exercent numero convivia laeti,
 918 ille quibus mortali ortum denuntiat unum
 919 stirpe virum, non ambrosia, non nectare pastum,
 920 terrestri fetu qui vescitur, et pede sicco
 921 fluctibus incedit pelagi sedatque procellas.
 922 Haec animis agitant stupefacti haerentque timentes,
 923 ultima ne fati aetas urgentibus instet,

924 qua regno cuncti et prisco spolientur honore.
 925 Ingentesque metus Erebi dilapsa sub umbras
 926 nuntia fama movet manesque exterritat imos.
 927 Inde urbes varias, varios notissimus agros
 928 agmen agens comitum, et Galilaeae in finibus omnes
 929 perlustrat populos juxta Samaritidis oras
 930 Christus. Perventum ad magni latera ima Taboris,
 931 quem circum laetosque greges et pingua pascunt
 932 armenta, et vertunt felices vomere terras
 933 agricolae, multaue ferunt ex arbore fetus
 934 multiplices pecorique jugis dant pascua saltus.
 935 In nubes sterili mons vertice tollitur altas
 936 inculto et dumis horrenti et sentibus atris.
 937 Tum Petrum et geminos fratres, pia quos Zebedaeo
 938 progenuit Christi matertera, deligit ipse
 939 alta petens, aliis monte exspectantibus imo
 940 omnibus, undosi parvum Cisonis ad amnem,
 941 et tribus evadit summam comitatus in arcem.
 942 Jam terris medio cursu se noctis opacae
 943 intulerat somnis ingens cum mollibus umbra.
 944 Quinetiam geminos fratres fessumque tenebat
 945 Petrum infusa quies, dum silvas inter inertes
 946 aggere sub medio felicis conditor aevi
 947 supplicibus magnum votis precibusque parentem
 948 invocat, et generi se devovet hostia nostro.
 949 Orantis vultu nova lux micat, et micat aurae
 950 fulgor agitque diem quantum numquam potuit sol,
 951 qui claro post nigram hiemem, post nubila caelo
 952 elucet terrisque caput demonstrat honestum,
 953 flammae oculis geminae flagrant, duo maxima lucis
 954 fulgura : tum subito totus discedit amictus
 955 candorem in nitidum. Candent non lilia tantum,
 956 hibernaeque nives, aut vernis floribus arbor.
 957 Ipse suae gentis stat maximus ante Deum dux
 958 ex primo Moses Acherontis limine missus,
 959 infernaeque domo, gemini cui vertice surgunt
 960 lucentes radii, placido cui dulcia vultu
 961 lumina et os placidum et laetae constantia frontis,
 962 scire suum genitor dederat cui maximus olim
 963 consilium, secumque loqui populoque recepto
 964 reddere mandata et sanctarum munera legum,
 965 portentisque novis divinam ostendere mentem.
 966 Ille hominum priscam scribens ex ordine prolem,
 967 et varios per tot collegit saecula mores,
 968 factaque, quot mundi primo distabat ab ortu,
 969 ut patrum antiquas sedes promissaque regna
 970 viderit, ex medio conspectu oculisque suorum
 971 migranti vita sublatus nube recessit.
 972 Magnus ab aurorae tractu et felicibus hortis,
 973 quos fovet Eoi placidos clementia caeli
 974 Eliias vates, tulerat quem turbinis altum
 975 more ruens currus caelestis ad aethera flammae,
 976 ultima labentis venturum ad saecula mundi,
 977 missus adest placidoque dei se sistit ad ora
 978 submissus vultu, non qualem invictus habebat,
 979 dum scelera argueret, dum terris tolleret imbres.

980 Cernere ut ora datum divinae prolis utrique,
 981 coram utrique loqui, Moses sic incipit ultro :
 982 "O sate patre deo, quem caeli luce carentes
 983 clausi umbris Erebi longo expectavimus aevo,
 984 nunc ades, et mundo praebes vitae pretium te
 985 ingens, quanta tua est pietas, quantus tibi nostrae
 986 gentis amor, summa qui lapsus ab aetheris arce,
 987 terrae ad depressam sedem, ut gravia omnia late
 988 dura ut supplicia, ut letum miserabile ferres.
 989 Ventura haec novi, haec certis prius omnia signis
 990 monstrasti, Aegypto eripiens capta agmina gentis
 991 Hebraeae, caedi solemnem rite jubebas
 992 agnum, et servari hunc morem per saecula, donec
 993 instaret tempus, positis quo ritibus agni
 994 succedas manibusque cadas tam digna tuorum
 995 hostia, cunctam hominum ut serves ab origine gentem,
 996 faucibus eripiens Erebi caeloque reducas,
 997 continuo Helias, scelerisne exordia primi
 998 (inquit) tam gravia et generis tam tristia nostri
 999 hinc delicta, tua liceat quae morte piari ?
 1000 Ingrataene tuae tanta mactabere gentis
 1001 invidia ? Quid tantum Achabus rex impius olim,
 1002 dum patrias aras cultusque relinquit avitos,
 1003 sacra aliena sequens ? Quid tantum regia conjunx
 1004 Phoenissa, in me dum fremuit vatesque necavit
 1005 dura tuos ? Utrique nefas non cessit inultum.
 1006 Saucius ille gravi media inter proelia telo
 1007 procubuit fusumque canes linxere cruorem,
 1008 supremaeque domus jacuit sublimibus illa
 1009 dejecta e speculis depastaque viscera diris
 1010 (fas ut erat) canibus. Te dira hominem atque deum gens,
 1011 te lucis, te vitae exspectataeque salutis
 1012 auctorem invadet, te regem illudet Olympi,
 1013 tot trucibus poenis letoque premens infami.
 1014 Sentiet ipsa tremens tellus maestumque tenebris
 1015 sol caput involvens et signa horrentia manes
 1016 caelicolaeque dabunt. Dignis scelera omnia pendant
 1017 caedibus et regni spectent urbisque ruinam
 1018 ingentem Solymi, et totis aeterna vagentur
 1019 passuri exilia in terris passimque pererrent
 1020 gentibus invisum cunctis sine fine nepotes."
 1021 Hoc Petrus placidam et fratres sermone quietem
 1022 abrumpunt tolluntque oculos vultumque silentes :
 1023 Christi in conspectu vatem lucentis utrumque
 1024 conspicere attoniti divinae fulgura, et illam
 1025 lucem admirari, nequeat qua clarior ullus
 1026 esse dies : oculi hac specie mentesque fruuntur.
 1027 Unde nova haec, quae nos tanta dulcedine tangit
 1028 lux penetrans aciem, et sensus descendit ad imos ?
 1029 Petrus ait : "Species unde haec tam laeta repente ?
 1030 Hic sedem statuere, hic tecum da, Christe, morari,
 1031 ternaque congestis fieri tentoria ramis,
 1032 tu quibus et tecum Helias Mosesque tegantur,
 1033 nos quoque tres tali tecum statione fruamur."
 1034 Has voces visu lucis non captus inani
 1035 vix dederat, nubes dum funditur aethere circum

1036 ex alto vatemque leves utrumque per auras
1037 tollit, et ex oculis velans spectantibus aufert.
1038 Tum caelum allabi et mons partibus omnis ab imis
1039 intremere, et densae nutando assurgere silvae.
1040 Continuo summi haec ipsius jussa parentis
1041 audiri et dictis impleri talibus aether :
1042 "Hic est quem genui, Christus, mea magna voluptas,
1043 haec mea progenies, pretium cui ferre salutis
1044 constitui et sanctis submittere legibus orbem.
1045 Ergo hujus praecepta animis monitusque salubres
1046 observate, viri : terras quibus ire per omnes,
1047 jussaque perferre ad fines licet usque supremos."
1048 Hae tonitru voces totum per inane feruntur,
1049 omnia complentes tellusque polusque resultant.
1050 Procubuere metu comites pronique repente
1051 delapsi ad terram jacuere, alto ut cyparissi
1052 in Libano et durae procumbunt turbine cedri.
1053 Restitit os oculosque gerens vultumque priorem
1054 Christus, et hos gradiens confecta luce revisit ;
1055 contactuque levat dextrae tollitque jacentes.
1056 Dat vires animumque viris : tum visa taceri,
1057 occultumque premi pro tempore jussit honorem.
1058 Exin digreditur, referens ad flumina sese
1059 Cisonis rapidi et montem descendit ad imum.
1060 Jamque diem clarum referens mortalibus ibat
1061 Phoebus ab Oceano, et tenebras aurora resolvens,
1062 os terris roseum et summo monstrarat Olympo,
1063 cum laevo ex fluvio maerens saltuque propinquo
1064 obvis innumerae fertur per plurima gentis
1065 agmina vir senior, supplexque dei ante pedes se
1066 dejecit, ingentique manum protendit utramque
1067 cum gemitu lacrimisque preces rorantibus addit :
1068 "Christe, salus promissa homini, timor acer Averni,
1069 per te, perque tuum, est qui in nos tantus, amorem
1070 nostri (oro) miserere. Miser mihi filius unus
1071 heu superest misero tantum, cui debita soli.
1072 Res patria atque domus, spes quondam et magna voluptas,
1073 nunc patris dolor infelix : illum efferat morbi
1074 infantem rabies, Erebi que immanis Erinnys
1075 invasit furiisque novis infesta tot annos
1076 pressit, nec diro requies datur ulla furore
1077 Ille mali, huc stimulis atque huc ingentibus actus
1078 ut Triviae rapitur furiis, ut fulminis ictu,
1079 nunc in aquam, nunc praevalidos elisus in ignes
1080 corruit, afflictosque quatit crudeliter artus
1081 ad terram. Tantum non concitat aequora turbo,
1082 turbatisque furit tantum non fluctibus aestus.
1083 Clamitat horrendum saniemque ejectat hiulcis
1084 naribus, et rabido spumas exaggerat ore.
1085 Non praesens ullum medicae succurrere curae
1086 auxilium, comitum nulli potuere tuorum,
1087 est quibus oblatus. Tua sola potentia nato
1088 expetitur magnamque tuo spem numine fixi.
1089 Tu Deus es, summique patris sata virgine proles,
1090 (haud dubito) sentitque genus tua munera nostrum.
1091 Infera te legio, te diri exercitus Orci

1092 extimuit, liquitque virum possessa duorum
1093 corpora. Tuque animas rursus ex Acheronte reducis
1094 artus in gelidos. Tu jussu comprimis Austros
1095 iratos noruntque tibi parere procellae."
1096 Audiit has facilis voces mentemque precantis
1097 insignemque fidem Christus fixamque deo spem
1098 inspiciens ad se juvenem perducier aegrum
1099 jussit. Mox trahitur famulis a fortibus ille
1100 turbam per mediam vinctus, multoque repugnans
1101 pellitur ad Dominum cum murmure, versaque torquet
1102 lumina cum fremitu exhorrens taetro oris hiatu.
1103 Tractus ad ipsa Dei multis ut viribus ora
1104 affuit, infernae stimulis fremit acrius irae.
1105 Continuoque ruit dura vi stratus, et omnes
1106 terrae immane quatit (res est miserabilis) artus
1107 attollens vocem horrificam, qua proximus amnis
1108 intonuit Cison vicinaque litora Ponti,
1109 sublimisque Tabor late saltusque profundi
1110 Carmeli sonuere. Fugit percussa retrorsum
1111 turba metu, cunctis ingens spectantibus horror
1112 ingeminat. Scelerum sed adest stans proximus ipse
1113 purgator ; subitoque oculos animumque reflectit
1114 in miserum, et verbis pestem deturbat acerbis :
1115 "Hostis atrox hominum caeloque invise, quid istam
1116 sedibus exerces etiam vim tantam alienis,
1117 me spectante, virique animam corpusque fatigas ?
1118 Cede istinc, fugiens lucem, et pete tristia praeceps
1119 Tartara, sat tibi permissum." Sic territus ille
1120 exit, et in vacuas non turbine segnior auras
1121 evolat horrendisque locum stridoribus implet,
1122 nunc gemitum immanem miscens, nunc dirum ululatum.
1123 Trans Jordanis aquas trepidus, trams rura Trachonum
1124 fertur Ituraeos juxta tegiturque nigranti
1125 occultus nebula ; atque Arabum petit aspera lustra,
1126 immanesque sinus, diris ubi faucibus horret
1127 antrum ingens latebrisque domus metuenda latronum,
1128 obscura in silva, qua se demittit ad imam
1129 Cocyti sedem, aeternae loca tristia noctis,
1130 hostis atrox hominum supremo invisus Olympo,
1131 perturbatque metu manes : jam saecula mundo
1132 advenisse refert, praeda quibus improbus omni
1133 Tartarus, et prisco vincti spolientur honore
1134 Dii Stygii, et toto miseri pellantur ab orbe.
1135 Intremuere omnes, dubii quibus artibus et qua
1136 tendere vi liceat, tremuit terroribus Orcus.
1137 At juvenem, poterat qui non spirare, jacentem
1138 prostratumque solo, depulsa Christus Erinny
1139 excipit una salus hominum, timor acer Averni,
1140 incolumemque manu tollit redditque parenti.
1141 Harum tot populos rerum novitate, tot urbes
1142 excitat huc variis rumor diffusus in oris,
1143 praeclarumque dei nomen, caraeque salutis
1144 munera. Tot mixtae numero simul undique gentes
1145 huc celerant terrisque fluunt ex omnibus aegri
1146 innumeri : cunctis dat opem poscentibus ipse.
1147 Tum tactu vestis, fuerint quicumque repente

1148 morbi abeunt, tactoque salus est reddita limbo.
 1149 Turpis abit papulis elephas et letifero aestu
 1150 febris profusisque tumens humoribus hydrops,
 1151 profluxique lues mala sanguinis, et dolor aegros
 1152 urgeret quicumque alius. Pars magna soluti
 1153 cui nervi et dissuti artus laxique lacerti
 1154 ossaque ; quin multi sacro quibus igne peresa
 1155 membra forent laceroque exhaustae corpore vires.
 1156 Quid dicam ? Ingenti venientes undique turba
 1157 sedibus e longis miseros, terrisque propinquis
 1158 caecosque claudosque simul mutosque videres
 1159 lucem oculis et vim pedibus donumque loquendi
 1160 accipere, et patriae incolumes ad tecta reverti.
 1161 Huc quoque multa hominum, quae mortua forte feruntur,
 1162 corpora, continuo post funera lumen (amatum)
 1163 accipiunt caramque animam ex Acheronte remissam.
 1164 Non homines paucos linquunt, abeuntque sub umbras
 1165 jussae Erebi furiae, atroces mortalibus olim
 1166 pestes. Tanta Deo fuit haec clementia, tantus
 1167 gentis amor nostrae. Vati par copia cantus
 1168 non datur, et cunctae nequeunt in carmina tantam
 1169 fundere vim Musae, ut tentem, possentque referre
 1170 quam varii quondam morbi, quam magnus adesset
 1171 aegrorum numerus semper, quibus alma repente
 1172 vel dextrae tactu, vel tacto reddita limbo est,
 1173 caelestive salus jussu viresque receptae.

FINIS SECUNDI LIBRI.

LIBER TERTIUS.

C_3 v.1 Tot signis trepidi, tot vatum urgentibus omnes
 2 percussi monitis manes et numine tanto
 3 turbantur, rebusque novis conterritus Orcus
 4 secum agitat, qua vi contra, quo pendeat astu.
 5 Ipse suos ergo jubet intra nigra vocari
 6 atria et in coetum totis procedere tectis,
 7 dirae adsunt Erebi turbae primusque Taractes,
 8 Zelemonque dolens, fraudumque repertor Eremnus,
 9 parque dolis Ephedros formidatusque Molobros.
 10 Ferreo dux solio tandem non pauca volutans
 11 se locat, hasque animo voces prorumpit ab imo :
 12 "Vos, Erebi proceres, quos mecum ab origine nostra
 13 unanimes habui comites, quocumque meae res
 14 corruerint, pulsi caelo lapsique sub umbras,

15 non sortem ferre indignam potuistis, et ingens
16 dedecus hoc nostrum, summi dum rector Olympi
17 praeferret sobolem nobis caeloque locaret
18 humanam, ut visum est illi, facit omnia quando
19 omnipotens. Sed patrem ipsum natosque tulistis
20 crimine contactos patris cunctosque nepotes
21 nobiscum magnaue implestis Tartara praeda.
22 Surgere jam mundo vatum praedicta videtis
23 saecula responsis, astu quibus improba nobis
24 (credite) pernicies et vincula dura parantur.
25 Ingruit unus homo nobis, timor acer Averni,
26 aut hominis tectus facie Deus (hoc reor unum)
27 secum hominem ut rapiat manes venturus ad imos,
28 laturusve malum nobis : monstratur apertis
29 tot signis. Nimium sunt omnibus omnia nota.
30 Dicite vim contra tantam quid denique habendum
31 consilii, quam nostra viam fors monstret, ut omni
32 congressi cura priscos servemus honores."
33 Continuo insurgit non aequa mente Taractes
34 sic contra : "O proceres et Averni maxime rector,
35 quid frustra hanc operam et durum tentare laborem
36 convenit ? Unde lues ingens iterumque sequetur
37 dedecus haud parvum. Nonne haec quae maxima signa,
38 nonne hujus vires quem contra tendimus omnes,
39 novistis ? Taceo responsis saecula vatum
40 praedicta et summi portenta minantia caeli.
41 Nos quantum unus homo, aut (quem) hominem Deus induit, urget,
42 scitis, et ex hominum quanta nos corporibus vi
43 ejicit infensus, quanta formidine turbet.
44 Pulsi alii veniam poscunt, jussique tacere,
45 effugiunt. Tristes alii decedere ad umbras
46 coguntur, supplexque acies heu nostra precando
47 accedit turpesque viris ejecta duobus
48 mittitur in porcos. Animas, velut imperat ille
49 artus in gelidos iterum ex Acheronte reduxit.
50 Exigua, quae quinque viris non sufficit, esca
51 saepe hominum (ut vidi metuens) tot millia pavit :
52 bis centum fragmenta viris restantia mensae
53 sufficerent. Caeci et claudi mutique repente
54 lucem oculis et vim pedibus munusque loquendi
55 accipiunt. Lapsam vidi novique columbam
56 ad Jordanis aquam, audivique Deum ipse loquentem.
57 Quid jubar ipsius dicam vultusque flagrantis ?
58 Tres lecti comites norunt, novitque Taboris
59 altus apex : Moses Acherontis limine missus,
60 missus et aurorae Helias felicibus hortis
61 numen adorabant ; pater aethere summus in alto
62 astabat prolemque suam per inane vocabat.
63 Nos contra unius vires manifestaue miris
64 numina tot signis, qua vi, quo proderit astu
65 tendere, non video tantaeque occurrere pesti,
66 tutariue decus : ventum est ad culmina rerum.
67 Nostro impune jugo totum submisimus orbem
68 quondam victores, et nigra ad Tartara praedam
69 veximus ingentem, et longo regnavimus aevo.
70 Advenere dies, quibus hostis rector Olympi

71 nos terret, qui res passus succedere nostras
72 tempore tam longo, vim nobis auferet omnem,
73 regnaque et antiquos, qui jam labuntur, honores.
74 Nos orbe ex toto, si quid molimur, ad umbras
75 dejiciet terraeque premet penetralibus imis.
76 Illum non ultra cupientem tristis Eremnus
77 dicere plura sinit ; quo non mortalibus ulla
78 pernicies peior, legio cui plurima paret,
79 Infernaeque acies : studiis seu vertere iniquis
80 corda velit variisve animos incendere curis,
81 fraudibus instructus. Sceleri ducis addidit olim
82 se primus secumque vocans tot millia traxit
83 in scelus, a summo cecidit dum pulsus Olympo.
84 His contra memor iste doli sic vocibus infit :
85 unde timor tantus, tanta unde ignavia nobis ?
86 Priscae ubi nunc artes ? Ingens ubi gloria nostri
87 imperii ? Nunc rem labi patiemur inertes ?
88 Non pugnare Deo, non ipsum extrudere caelo,
89 ipsius aut magnas nostra vi vincere vires
90 conamur, nobis hominum cum gente gerendum
91 est bellum, praedae quos omni tempore habemus
92 diripere expostos, Erebiue intrudere ad umbras.
93 Si nostro impulsu peccant, irascitur illis,
94 non nobis Deus, et totum iratus sinit orbem
95 misceri terrasque malis turbarier omnes.
96 Eminent unus homo factis insignibus, esto,
97 prodigiisque novis, vel magnus rector Olympi
98 vultu hominis tectus, manes qui territet imos :
99 ibimus haud ipsi hunc contra, aut conabimur hujus
100 frangere congressi vires. Non maxima signa,
101 ardua non opera est nobis inhibere potestas.
102 Arte viam inveni, qua falso extinguere tantam
103 crimine lucem operum et tantis occurrere rebus
104 possumus, invenique nefas scelerique paratos
105 mille viros. Omnis patrio qui praesidet ipsi
106 concilio, et Sadducaei discordibus omnes
107 atque Pharissaei studiis legumque periti,
108 atque Sacerdotum primi, quos plurima vulgi
109 invida pars sequitur, corruptam ingentibus ultro
110 omnem agitant vitam vitiis, moresque severa
111 fronte pios simulant, cupiunt justique videri.
112 Non fastus, non ambitio, non ardor habendi,
113 ullis est major (nosco) nec acerbior ullis
114 invidia ; horum animos odiis multoque timore
115 incendam, variis acuens ad crimina curis :
116 qui vertant vitio et magicis dent artibus illa
117 omnia, supra hominem fuerint quaecumque secuta
118 tanta opera. His vulgi implebunt rumoribus aures,
119 clarum indignati unius consurgere nomen,
120 exposcentque necem. Hunc, si qua nos possumus arte,
121 si quibus insidiis animos urgere, necabunt."
122 Impia continuo sedet haec sententia cunctis,
123 hoc Stygii proceres poscunt, hoc improbus Orcus
124 imperat exsultans, fraudumque repertor Eremnus
125 callidus obscurae petit arma accommoda nocti,
126 dulces melle epulas cum letiferis aconitis,

127 atque Stygis multa et Phlegetontis pocula secum
 128 excipit : et circum tenebris occultus in auras
 129 exit, mille vocans comites. Tot millia circum
 130 adsunt, tam saevae facies, Furiaeque sequuntur
 131 accinctae colubris crines, durusque Taractes,
 132 Zelemonque Ephedrosque trucidatorque Molobros.
 133 Cisonem juxta taciti montemque Taborem
 134 festinant caecaque diem caligine conduunt.
 135 Quales sola lupi linquentes lustra feruntur
 136 in praedam, laetoque gregi per rura latentes
 137 armentoque parant stragem finesque pererrant
 138 agrorum, imbriferae tecti velamine nubis,
 139 ut Christi altricem speculati in collibus urbem,
 140 Nazareumque jugum videre, per aera raptim
 141 conversi in milvos tectorum culmina supra
 142 alta volant, varios flectentes agmine gyros.
 143 Venerat huc summi patris sata virgine proles
 144 Nazarea in patriam felicis conditor aevi
 145 maximus, in coetum cunctos dum sancta vocarent
 146 Sabbata, septenoque die de more quietem
 147 esse operum certam et totos cessare labores,
 148 sacraque concinere, et vatum responsa juberet
 149 relligio audire et legum praecepta referre.
 150 Ipse ergo in mediis spectatus corpore pulchro,
 151 vultu oculisque flagrans, et vi carissimus omni
 152 verborum et laeta divini luce decoris,
 153 Sacra astabat scripta legens vatumque docebat
 154 sancta pius monita et patrum monumenta piorum.
 155 Numine se valido et signis monstrabat apertis,
 156 affore quem canerent vates, quem posceret unum
 157 nostra salus, Stygioque jugo qui solveret orbem,
 158 culpabatque suae dictis incredula gentis
 159 pectora et ingratos animos moremque superbum.
 160 Virtutem attoniti tantam divinaque verba,
 161 divinaeque decus lucis mirantur, et artes
 162 non studio partas. Pars indignantur honores
 163 horum operum, atque viro tantas in paupere vires,
 164 culpaeque dolent miseri sua crimina cives.
 165 Nec mora, se mediis furtim demissus Eremnus
 166 infert, parque dolis Ephedros, Furiaeque sequuntur
 167 invisae stimulisque movent ingentibus iras.
 168 Fervent continuo proceres legumque periti
 169 injustis accensi odiis, primusve Bachorus
 170 concilii, de stirpe Sebae, cui prole perempta
 171 Iessaei regis, rursum dum bella moveret,
 172 est caput abscissum, clausis quod femina portis
 173 victori sapiens muris dejecit ab altis :
 174 increpat his dictis animos acuitque furorem :
 175 "Quae tanta, o cives, nobis portenta videmus
 176 ingruere, indignumque nefas inimica minari ?
 177 Pauperis unde viri virtus, qui talia possit,
 178 qualia supra hominem nulli videre priores ?
 179 Unde istae, quas non didicit, quibus eminet, artes ?
 180 Hactenus hic nostra sine nomine pauper apud nos
 181 vixit in urbe, alias nuper discessit ad urbes,
 182 dudum operum huc tanto rediit manifestus honore.

183 Pauper uterque parens hujus -novistis utrumque-
 184 exiguamque domum, consanguineosque jacentes
 185 pauperie. <Sed> nunc et nos nostramque lacessit (vers lacuneux)
 186 criminibus famam et patriae decus obruit ingens.
 187 Quid referam ? Summo se jactat ab aethere missum,
 188 quem responsa canunt, certam spem ponimus in quo,
 189 in quo nostra salus, totus cui serviat orbis.
 190 Accelerate, virum demus de vertice rupis
 191 praecipitem, tutusque suo se numine servet
 192 labentem eripiatque neci (si possit) acerbae."
 193 Dixerat haec, ingens surrexit in agmine clamor,
 194 commoti fremuere animi. Velut impete magno
 195 cum sonitu e scopulo torrens violentior alto
 196 labitur et rapidis ad saxum frangitur undis,
 197 aestu immane furens. Cunctos furor impius urget
 198 in caedem, ac caeli magnum extra moenia regem
 199 ejiciunt, mundi lucem pretiumque salutis.
 200 Dementes qui tanta Dei non numina norunt,
 201 quem frustra excelsa tentant detrudere rupe.
 202 Alta in praecipiti stat rupes moenia juxta,
 203 montis dorsum ingens expostaque tollitur Austro
 204 in nubes, summoque patens in vertice campus
 205 imminet atque herbis incultus agrestibus horret.
 206 Huc ubi convenere, ardent ingentibus omnes
 207 una acti furiis circum scelerique parati.
 208 Ipse oculis vultuque flagrat majorque videtur
 209 stans medio, tutumque suo se numine firmat.
 210 Nec tulit ipse parens, fuerat si forte paratum
 211 quid sceleris, sanctumque malis contingere mundi
 212 civibus haud regem licuit, carumque parenti,
 213 carum caelicolis. Micuit ter numine saevo,
 214 ter tremuere illi ; insinuat se mentibus horror,
 215 attonitique jacent. Quales pallentibus aegri
 216 in tenebris, dum vana premunt insomnia mentes,
 217 turbida quas variis terrent simulacra figuris :
 218 torquentur pressique tremunt sine viribus artus.
 219 Ergo inter medios tutus, ceu marmoris inter
 220 labitur aut ligni statuas, patriamque relinquit
 221 ingratham incolumis, gentem miseratus iniquam.
 222 Inde alios fines externaque moenia rursus
 223 Bessaedamque Capharnaumque urbemque Naymam,
 224 Betulamque iterum, et gentem quae nomina servat
 225 urbibus a denis et quas celeberrimus urbes
 226 Jordanis parvoque rigat quas flumine Cison,
 227 plurimaque invisit Samaritidis oppida terrae.
 228 Ultro ipsi dominum multis cum laudibus omnes
 229 suscipiunt populi et multo venerantur honore.
 230 Quam cuncti optantes aegri petiere salutem
 231 integram accipiunt, species quaecumque fuisset
 232 morborum, excedunt duri quicumque dolores.
 233 Jam ver transierat, jam messes solus iniqui
 234 torreat radiis incensa ardentibus aestas ;
 235 ibant maturaes segetis per rura secuti
 236 jejuni Dominum comites, culmosque coacti
 237 frangere et attritis pastus exquirere aristis,
 238 dura inopes urgente fame penuria rerum

239 cogebat, peterent operum dum sancta quietem
 240 Sabbata et in coetum populos de more vocarent.
 241 Continuo furiis instat comitatus Eremnus
 242 astutoque Ephedro furtim, turbamque sequentem
 243 conspicit innumeram late, legumque peritos
 244 murmura jactantes, odio quos summa procaci
 245 gloria torquebat Christi nomenque per urbes
 246 diffusum varias. Ergo se mittit adempto
 247 Tartareo vultu inmedios, Abiaequae figuram
 248 induit annosi, qui non incognitus esset
 249 interpres legum, regi gratissimus olim
 250 Herodi, atque opibus qui se jactaret avitis.
 251 Hos petit, inque nefas ficto sic excitat ore :
 252 "Nos sacrum morem patriaeque videmus honorem
 253 excidere et sinimus, nostrum decus obruit unus,
 254 unus homo ; festoque die, quem rector Olympi
 255 vult sibi servari, violat sanctae otia lucis,
 256 vulgo aegros medicans. Hoc qua facit improbus arte,
 257 nescimus. Comitesque hujus festa sibi pastum
 258 luce parant culmosque terunt flaventis aristae,
 259 ingressi segetes, est saeculi infamia nostri
 260 maxima, quam cuncti referant culpaeque nepotes.
 261 Res dubias regi Herodi regisque ministris,
 262 delapsamque virum caelo se dicere regem,
 263 agmine quem populi magno gentesque sequuntur,
 264 monstremus ; signisque novis et nomine tanto
 265 omnia turbare, et regis regnique ruinam
 266 instare ingentem, trepidi ni talibus obstant
 267 inceptis." Sic fatus erat, dum tollitur inter
 268 Judaeos proceres murmur legumque peritos,
 269 accensos furiis diraque cupidine caedis
 270 poscentesque fremunt divinae funera prolis.
 271 Horum inter flammis scelerum mediumque furorem
 272 ecce aderat, festoque die cum fletibus ultro
 273 cum prece stabat homo maestus, dextraeque petebat
 274 auxilium extinctae : cujus vim perdidit omnem
 275 caementa et calcem exercens, dum forte pararet
 276 victum opera tali attritus duroque labore.
 277 Insurgunt proceres contra legumque periti
 278 injustis accensi odiis dominoque furentes
 279 objectant culpam comitum, flaventis aristae
 280 frangentum culmos, violataeque otia lucis.
 281 Ficti iterum quaerunt "Sanctae quietis honore
 282 servato liceat curam exercere medendi."
 283 Quos contra summi genitoris filius infit,
 284 purgator scelerum, mentes qui novit opertas :
 285 "Concipite has miseri nostras melioribus omnes
 286 res animis, tantumque leves non fingite crimen,
 287 dedignati aequumque palam verumque fateri.
 288 Non labor hic comitum non ipsa haec culpa meorum est,
 289 qua requies sancta et lucis violentur honores.
 290 Observare Deus festae dedit otia lucis,
 291 ipsum ut mortales, ipsius ut omnia totis
 292 facta animis, ut summum operum tueantur honorem,
 293 virtutisque vacent linquantque negotia rerum.
 294 Non leges, non fas ultra procedere vires

295 jussere. In sacris fieri dat plurima templi
 296 relligio, et fieri sine crimine cogit egestas
 297 plurima. Sunt etiam praesens quae casus adurget.
 298 Agnos in templo geminos de more sacerdos
 299 caedit, visceribusque parat non impius ignes.
 300 Jessaeum sociosque fames assumere pastus
 301 dura inconcessos olim Cereremque dicatam :
 302 haec eadem comitesque meos confringere culmos,
 303 et victum attritis captare subegit aristis.
 304 Quin agite. Incensisne licet succurrere tectis,
 305 vicinasque domos tutari incendia contra ?
 306 In medione freto remos surgentibus undis
 307 contra hiemes agitare manu, pecorine mederi
 308 concessum, puteoque pecus subducere lapsum ?
 309 Nulla Deo lucis requies, nulla hostia tantum
 310 grata, inopes quantum pietas quae respicit et quae
 311 succurrit miseris, qui morbo aliisque premantur
 312 casibus. Hanc numquam fas exercere recusat,
 313 despexisse nefas. Ergo nunc aegram age dextram
 314 tolle, et opem quam poscis habe ; tibi quam ipse salutis
 315 auctor ego (haud dubita) do, festae lucis et auctor,
 316 supremique genus patris sata virgine proles."
 317 Paruit, arentemque manum simul extulit ille,
 318 haec simul incaluit sensu cum viribus humorem
 319 accipiens digitisque micat sublata repente.
 320 Continuo factumque Dei pia laudibus una
 321 pars ornare novum, pars aemula tollere murmur,
 322 Sabbata contemni clamant sanctamque quietem.
 323 Ecce virum fidi interea carique trahentes
 324 adsunt cum fletu et maestis per plurima vulgi
 325 agmina cum lacrimis, cui mentem Acherontis Erinnyes
 326 turbaret rabie et totos penetraret in artus,
 327 lucem oculis vocisque obstructis auribus usum
 328 eripiens, sensusque furens confunderet omnes.
 329 Illum ut anhelantem furiisque infanda frementem
 330 membraque jactantem coram statuere propinqui,
 331 dura jubente Deo Cocyti pestis et omnis
 332 excessit rabies : patefactae protinus aures,
 333 reddita lux oculis, subito vox reddita linguae est,
 334 obstupuitque metu mentem percussus Eremnus
 335 Zelemonque Ephedrosque trucidatorque Molobros
 336 continuo in latebras trepidi cessere retrorsum.
 337 Ille Deo stat agens grates, vocemque soluta
 338 ingeminat rumpens diuturna silentia lingua,
 339 et rerum aspiciens formas miratur, et altum
 340 aethera stelliferique decus miratur Olympi,
 341 omniaque ardenti lustrantem lampade solem.
 342 Innumeras audit voces, dum tollitur ingens
 343 spectantum plausus laudesque sub astra ferentum.
 344 Exarsere odiis proceres legumque periti,
 345 laudibus adversi factique insignis honori
 346 mente nefas agitant. Miranti prodere turbae
 347 non audent, animo quae secum indigna volutant
 348 atroces ipsum magico depellere cantu,
 349 vique ducis Stygii manes aegrisque mederi,
 350 humana ignotis terrentem pectora signis.

351 Ipse autem exemplo qui mentem agnovit opertam
 352 "Tantum animo, o miseri, sceleris quid volvitis, inquit ?
 353 Non alios consueti alii depellere manes.
 354 Uno omnes animo juncti, paribusque nocendi
 355 humano generi studiis, et vertere terras
 356 conjurati omnes. Socia ut collecta latronum est
 357 in silvis acies, valeat per devia si quos
 358 excipere errantes opibusque exstinguere raptis.
 359 Una potestatem Stygiae concordia gentis
 360 continuit duram ; quae fas tot saecula pressit
 361 antiquum toto exercens regna impia mundo,
 362 compressitque jugo terras. Sed nunc venit aetas
 363 cognita tot vatum monitis, qua debita vobis
 364 caelestis soboles magnis cum viribus adsit,
 365 quae vires Erebi franget manesque superbos,
 366 et dura imperia et solvet juga tristia terris.
 367 Virtutem instare ex alto durosque fugari
 368 Orcicolas magna dejectos corporibus vi,
 369 rursus et ad dirum remeare Acheronta coactos
 370 cernitis, et regna aeternae consurgere pacis.
 371 Ipsam hominum gentem servare aegrisque mederi,
 372 non labor hic Orci, magicae non hoc fuit artis,
 373 sed summi genitoris opus. Mortalibus Orcus
 374 officit, assuetus placidam turbare quietem ;
 375 bella ferit magnosque metus morbosque, necemque,
 376 Infernis totum lacerans praedonibus orbem.
 377 Quid vetitae potuere artes ? Spectantur inanes
 378 si magica rerum species mentitaque ludant
 379 signa oculos : mugire umbrae cursuque morari
 380 flumina mutato, et densae discedere silvae,
 381 et caelum allabi visum vertique retrorsum.
 382 Supra homines, supra manes opera omnia nostra.
 383 Non vana haec : claudi et caeci mutique repente
 384 vim pedibus lucemque oculis munusve loquendi
 385 accipiunt, rursusque calent redeuntibus artus
 386 argentes animis subito ex Acheronte reductis.
 387 Morbi abeunt, abeunt fuerint quicumque dolores,
 388 (credite) non alio summi quam numine Olympi."
 389 His furor incendit major praecordia dictis.
 390 Triste fremunt conati odium praetexere frustra,
 391 consilioque dolos agitant si fallere possint,
 392 ficto animo ingressi, ut caeli certis sua monstret
 393 numina portentis. Repetunt quae signa secuta
 394 de caelo quondam, flammam hic jussit ab alto
 395 allabi, atque alius pluvias aestate serena
 396 cum tonitru retroque alius Titana referri,
 397 stare diu orbe alius medio lucemque quadrigis
 398 produci immotis, ex alto alius dare pastum
 399 aethere. Quos contra affatur sic rector Olympi :
 400 "Quid varia tantum vos dissimulare necesse est
 401 arte nefas ? Illis nil factum ex omnibus olim
 402 me sine portentis. Jam vobis nostra videre
 403 signa datum : optarunt vestri quae plurima quondam,
 404 et cecinere patres, licuit quos scire futura.
 405 Ultima vatis adest septenis partibus aetas
 406 digesta, objectum quem non laesere leones.

407 Sub ducibus vestris multos sub regibus annos
408 regnatum externumque jugum jam ferre coacta est
409 Judaea, externo infelix jam subdita regi
410 amisit regnum. Natali gaudia nostro
411 caelicolae cecinere ipsi : nova duxit ab ortu
412 stella magos regesque timor saevire coegit.
413 Pridem audita Dei caelo vox lucida aperto,
414 progeniem affati lapsumque sub alite numen
415 ad Jordanis aquas. Monstravit in agmine multo
416 indice spem vestram vates pretiumque salutis.
417 Scire etiam est geminis hominum tot millia pasta
418 piscibus et Cerere exigua, quam multa relicta
419 fragmenta. Hinc claudi et caeci mutique repente
420 vim pedibus lucemque oculis munusque loquendi
421 accipiunt, rursusque calent redeuntibus artus
422 argentes animis. Vos signa videbitis olim
423 tristia : pallenti solem se nocte tegentem
424 horrentemque nefas vestrum, radiisque nigrantem
425 Germani lunam amissis terramque trementem,
426 dum manibus vestris sceleris cadet hostia vestri,
427 caelesti genita humanoque a semine proles ;
428 trisque dies condetur humo vitamque resurgens
429 accipiet, laetis oriens cum tertius orbem
430 rursus inviset equis. Qualis divinus Amathi
431 aequoris in mediis submersus filius undis,
432 quem pelagi vasto depasta est bellua hiatu,
433 et terrae incolumem, effulsit lux tertia quando,
434 reddidit et sicca servatum ejecit arena.
435 Aethere per noctem toto concurrere turmas
436 supra urbem horrentes video, sidusque cruentum
437 cuspidis in morem et flammam circumdare templum,
438 moeniaque excindi populumque expendere poenas.
439 Ultro aderunt vestris, caeli ne quaerite signa,
440 debita commissis, ultrixque instabit Erinnys,
441 mundi extrema dies dum venerit, horrida ubique
442 multa ferent portenta metus, cum deficient sol
443 lunaque caligans, caelo labentibus astris,
444 extremaeque ferent flammae omnia, rursus et omnes
445 corpora se referent animae in sua. Non erit olim
446 qui lateat : sponte in lucem delicta ferentur.
447 Recta recusantes hunc ultra audire docentem,
448 invidia furiisque fremunt majoribus omnes.
449 E fornace velut rapida dum tingitur ardens
450 lassa lacu, furit aestus aquis cum murmure multo,
451 obscurusque vapor ferventibus evolat undis.
452 Ergo inter se agitant duri, possint quibus ipsum
453 perdere consiliis et clarum extinguere nomen
454 ipsius. Hinc regem Herodem regisque ministros
455 una adeunt infensi omnes, odia atra metumque
456 ut rerum novitate serant, et plurima passim
457 crimina mentiti referant causasque necandi.
458 Dementes, qui tale Deum nescire putarent
459 consilium occultum, fraudesque latere paratas.
460 Ipse suo summus qui dirigit omnia rector
461 numine, et ante videns certus non omnia nescit,
462 se, procul ingratae gentis regione relicta,

463 ad fines alios referens aliosque recessus
 464 digreditur, magnorum operum praeclarus honore."
 465 Jam flavam Cererem Cancri sol proximus astro
 466 torrebat, gemina invectus per sidera curru,
 467 annua cum sancta patrum servata rediret
 468 relligione dies, qua legem acceperat olim
 469 de caelo populus, primis qua frugibus agnos
 470 cum vitulo oblati mactans de more sacerdos
 471 pacem exorabat temploque ferebat honorem.
 472 Huc urbem ad Solymam et summi delubra parentis
 473 ex agris celerant, totis ex urbibus omnes
 474 Judaeae gentes, fluit huc regio agmine tota,
 475 atque soluturi cum laetis vota maniplis
 476 undique maturae segetis coguntur agrestes.
 477 Huc comites ducens inopes sine nomine secum,
 478 sed mox legatos totis caelestia late
 479 jussa relatuos terris hominumque salutis
 480 praecones primos, felicis conditor aevi
 481 festae lucis adit sanctam non inscius arcem.
 482 Vi valida et valida miseris praesens ope numen
 483 circum quinque datum Solyma fuit urbe lavacrum
 484 ingens porticibus, sacrae propelimina sedis,
 485 regum opus antiquum, lectos ex omnibus imbres
 486 delubri accipiens per longa canalia tectis.
 487 Huc aditus inter torquentes tecta columnas
 488 undique erant varii. Hic partes circum area in omnes
 489 protenta, et duro constructa sedilia saxo.
 490 Huc ovium laetique greges cum pinguibus agnis
 491 candentisque bovis fetus tener hostia multa
 492 ducitur assidue, scelerumque piacula capri.
 493 Mactare hic pecudes lectas, hic pingua lymphis
 494 abluere assuetus lustralibus exta sacerdos.
 495 Caelicolum hos latices medicans rivosque salubres
 496 unus qui servat medicandi a munere nomen,
 497 saepe per incertum volvebat tempus, et undis
 498 vim dabat ingentem : morbus qua protinus omnis
 499 aegri hominis, qui primus aquas tetigisset, abibat.
 500 Vim lymphae hanc medicam paucos concesserat annos
 501 ante sui adventum nati, et post funus acerbum
 502 abstulit omnipotens caedem indignatus iniquam.
 503 Hic prope aquam ingenti numero circumque jacebant
 504 aegri porticibus lecti undique, opemque petebant
 505 caelesti e motu cincti atque salubribus undis.
 506 Orbi luminibus multi, multique pedum vi
 507 exhausti, multique sacer fuerat quibus artus
 508 ignis depastus, multi quos arida febris
 509 depasta, et papulis elephas quos turpibus ora
 510 foedarat, quos et linguae defecerat usus,
 511 quosque tumens hydrops et quos sine nomine morbi
 512 torquebant alii ; una animis se ardentibus omnes
 513 circum aderant motas primum demittere in undas.
 514 Hos inter longaevus homo pallore supremo,
 515 lecto humili vectus lacera cum veste gemebat,
 516 poscebatque stipem infelix pia munera gentis.
 517 Membra suo resoluta loco et nervis labefacti
 518 disclusis membrorum artus totumque jacebat

519 languore ingenti corpus sine viribus aegrum.
520 Hic opis exspectans divinae munus, ad undas
521 manserat incassum et multos consumpserat annos,
522 tam longum morbum atque morae tot taedia passus.
523 Huc ubi purgator scelerum ipse datorque salutis
524 affuit, hunc animo miserans petit ocius ultro
525 curarine velit tandem reddique saluti.
526 Ille autem lacrimis per maesta fluentibus ora,
527 numinis ignarus tanti, quo certa repente
528 auxilia aegroto atque salus optata ferantur,
529 multa gemens, tales imo dat pectore questus :
530 "Quas ego non curas misere, quantosque labores
531 non tulerim hoc sperans, homines quoscumque vocavi
532 auxilio, superumque patrem, nec vota reliqui
533 ulla mihi, nullasque preces submissus, et aris
534 dona tuli, ut potui aeger inops, dum forte putarem
535 nil opis esse aliud, cessi huc delatus ad undam
536 terque decem frustra exegi et bis quattuor annos,
537 magnum opis exspectans divinae munus ad undas.
538 Tam longum morbum atque morae tot taedia passus
539 omnium egens, miseramque stipem pia munera gentis
540 implorans. Non vis mihi, qua contingere primus
541 possim adjutus aquas, nec adest qui tendere dextra
542 curet in adventu divi, dum volvitur unda.
543 Hoc primae acre malum invasit me flore juventae,
544 perductum aetatem in seram. Mihi nulla laborum est
545 annoso requies : duri jam morte propinqua
546 angores luctusque novi sine fine supersunt."
547 Respicit ipse querique sinit non amplius aegrum :
548 "Surge age, et acceptis jam viribus accipe lectum.
549 Numen inesse jubet verbis, dum talia fatur :
550 colligit his sese subito vis pristina dictis
551 ossaque constrictis nervis firmantur, et artus
552 robur in antiquum. Propere tum jussa secutus
553 surgit, lectum humero imponens, templumque requirit
554 (mirandum dictu) incolumis, nova facta videntem
555 per populum accelerans vocesque sub astra ferentem.
556 Contra odio ardentem Solymi, tantoque dolentes
557 hujus honore operis gens invida, murmure magno
558 certatim sanctae violarier otia lucis
559 conclamant agitantque virum clamore frementes.
560 Ast non ille hominum terrore minisque repressus,
561 "Ibo (inquit) lectumque feram mandata secutus
562 incolumis : nostrae ut voluit jussitque salutis
563 ipse dator. Quaeruntque nefas quis jusserit istud.
564 "Non novi hujus (ait) nomen" turbamque relinquit
565 et templo deponit onus partaeque salutis
566 lectum insigne locat monumentum in limine primo.
567 Nauta velut multas hiemes qui fluctibus egit
568 aequoris undosi, portu jam laetus in alto
569 conditur, et remos figens in postibus offert
570 velaque Neptuno patri et magno Melicertae,
571 haud maris in casus alios rediturus et undas.
572 Ipse autem coram delubri in limine solo
573 Christus adest celerique gradu se forte ferentem
574 laetantemque virum sic admonet : "Ista tuorum

575 poena fuit scelerum, inde sequi meliora memento,
 576 ne gravius commissa luas. Ego, numine cujus
 577 est tibi parta salus, duri cessere labores,
 578 sum Christus summi patris sata virgine proles.
 579 Vade age, ne cessa terrore minisque repressus,
 580 dic hominum esse Deum memorem sperentque salutem."
 581 Sic fatus, numenque animo viresque recedens
 582 infundit, subito sacris e sedibus ille
 583 Judaeos proceres motos invisit, et ipsum
 584 re magna attonitum vulgus : "Qui, quaeritis, (inquit)
 585 est Christus, Deus ille Deus, sata virgine proles,
 586 supremique genus patris ; magno mihi cujus
 587 numine parta salus, cujus jam numine terra
 588 impletur, scelerisque lues purgatur aviti,
 589 cui genus humanum, cui totus serviet orbis,
 590 quem metuunt manes (mihi credite) maximus est, qui
 591 nos Erebo eripiet victor caeloque reducet.
 592 Plura loqui proceres vetuere, ad sidera voce
 593 sublata adversi. Ter contra fervidus ille
 594 laudem extollit opusque Dei, ter dura minantur
 595 supplicia infensi. Tum furtim exsultat Eremnus
 596 in mediis, et atrox Ephedros diraeque sequuntur
 597 Eumenides, stimulisque movent ingentibus iras.
 598 Saepe domum ut modicus si primum corripit ignis,
 599 perque trabes primas ingens ad culmina fertur,
 600 nigrantem eructat nebulam diffusaque totis
 601 evolvunt rapidi tectis incendia venti,
 602 ipsi ergo proceres secum legumque periti
 603 una agitant taciti, Christum aut quibus artibus, aut qua
 604 vi teneant tradantque neci. Mortalibus ista
 605 posse fuit versare nefas audacia tantum.
 606 Praescius ipse alios (neque adhuc concesserat illum
 607 esse diem, sceleris quo concidat hostia nostri)
 608 invisit populos odiisque incepta refugit
 609 consilia ad terramque tulit Samaritida sese.
 610 Est cujus mons in medio (gens illa "Garizim"
 611 appellat) palmis felix et gramine multo,
 612 mons sacer et cultu magnorum insignis avorum.
 613 Venerat huc ductis pecudum tot milibus olim,
 614 dum socerum fugeret, multa cum prole revertens
 615 in patriam ; tectumque jugo construxerat alto,
 616 praedia mercatus, fontemque effuderat agro
 617 in puteum, Isaaci natus, quo pastus ad undas
 618 grex ovium, quo tota domus, quo Sicharis ibat.
 619 Ille locum sacris juxta delegit, et aris
 620 saepe deo positus dignos adolevit honores.
 621 Hoc quoque sacra loco proles moremque parentis,
 622 ipsaque posteritas sancto per saecula cultu
 623 servavit, rerum donec mutaverit aetas
 624 saepe vices regioque externis cesserit armis.
 625 Hanc gentem Assyrii Medique in vincla subactam
 626 sedibus egere, et secum sua sacra deosque
 627 induxere : sinit non talia rector Olympi.
 628 Morbi immissa lues ultrix, quae funere diro
 629 sontes corriperet vulgo, saevique leones
 630 immissi ultores, qui corpora sola necarent

631 humana impasti. Ergo illi tot cladibus atris
632 impulsī, veteres aras in monte reponunt.

PENDET OPUS INTERRUPTUM